


**MEDICORUM PRISCORUM
DE SIGNATURA IMPRIMIS PLANTARUM
DOCTRINA.**

Ao - c. 38.



COMMENTATIONIS

DE

NECESSITUDINE QUAE INTER MORPHOLOGIAM ET
PHARMACOLOGIAM REGNI VEGETABILIS INTERCEDIT
PARS PRIMA

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
AUGUSTO AC POTENTISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

CAROLO FRIDERICO

MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIVM ET ISENACENSIVM
PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE
PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA
BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN LITTERARUM UNIVERSITATE IENENSI
PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

IURIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE OBTINENDIS

DIE XXXI. M. IULII A. MDCCCXL

PUBLICAE DEFENDET


AUCTOR

FR. LUD. AUG. HERM. DE GOHREN

IENENSIS.

I E N A E

TYPIS SCHREIBERI.



1851

GLASGOW
UNIVERSITY
LIBRARY:

VIRO

PERILLUSTRI EXCELLENTISSIMO

EXPERIENTISSIMO

CAROL. GUILIELM. STARK

VIGILANTIAE SEU FALCONIS ALBI ORDINIS EQUITI
SERENISSIMI MAGNI DUCIS SAXO-VIMARIENSIS ET
ISENACENSIS A CONSILIIIS AULICIS INTIMIS ET AR-
CHIATRO ACTUALI MEDICINAE PROFESSORI PUBLICO
ORDINARIO MEDICORUM ORDINIS ASSESSORI INTRA
NUMBERUM INSTITUTI CLINICI A MAGNO DUCE CON-
DITI ALTERI DIRECTORI CET.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO FAUTORI

PIE COLENDO

HUNCCE LIBELLUM

EXIGUUM GRATI ANIMI DOCUMENTUM

OFFERT

AUTOR.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

REPORT OF THE

COMMISSIONERS OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

FOR THE YEAR 1890

CHICAGO: UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS, 1891.

PROŒMIUM.

Quod diu me tenuit desiderium de conditione, qua plantarum formae ipsarum respondeant medicinali efficaciae certi aliquid extricandi, quo novis et arctioribus vinculis rei herbariae suavitas saluberrimae artis gravitati jungeretur, id STRUMPFII opere nuperrime edito *) denuo est excitatum. Oblata igitur hac scribendi opportunitate, ne dicam necessitate, quid disserendi praeberet ansam, non erat cur incertus haererem. Cum vero et temporis angustiae et studiorum tenuitas ipsam rem vetarent me aggredi, de ejus historia visum est ita tractare, ut signaturae narrarem doctrinam tamquam antiquam non magis quam rudem ejusdem rei periclitationem. Ita haec orta est qualiscunque scriptiuncula, quam benevole, quaeso, accipias lector. Cui vero otiosus videor in enarrandis tantae levitatis tantique erroris rei fatis, consideret is levem non esse rem quae per complura sae-

*) *Die officinellen Gewächse in den natürlichen Familien.*
Berlin, Logier. gr. Fol.

cula medicorum acerrimos excitarit dissensus, multoque magis profici diligenti errorum judicatione quam inertī veritatis a nemine impugnatæ ruminatiōe, ac si erratum sit per tot saecula, vanae esse stultitiæ errores irridere, sapientis contra velatæ et depravatæ veritatis indagare vestigia. Cui nimis copiosus visus fuero atque anxius in afferendis similibus variorum virorum sententiis, is quaeso eo nomine me excuset, quod interdum magis spectarim, quomodo per ipsa virorum clarorum judicia de signatura temporum historiam illustrarem - et scriptorum ingenia quam quos ipsa ars illis debeat profectus enarrarem. Qui denique multa inveniatur, aut minus recte cogitata aut parum accurate, nimisve rudibus verbis expressa, indulgeat tironi.

SECT. I.

Nominis definitio.

Signatura, ars signata sive consignata ¹⁾, sive signatoria ²⁾, scientia signata ³⁾, anatomia essentiae ⁴⁾, sive essata ⁵⁾, sive virtualis ⁶⁾, anatomia medicaminum ⁷⁾, viva megacosmi anatomia ⁸⁾, naturalis magica ⁹⁾, magica scientia ¹⁰⁾, physiognomia ¹¹⁾, characterismus ¹²⁾, characteristicum rerum naturalium scientia ¹³⁾, ars praedestinata ¹⁴⁾, philosophia exterior ¹⁵⁾ („*äußere Philosophie*“), ea appellata est disciplina, quae facultates rerum naturalium salubres solius externae similitudinis ope cognoscere docuit *). Ipsa vero hujusmodi simili-

1) *Bücher und Schriften* PH. THEOPHR. BOMB. AB HOHENHEIM, PARACELSI *genannt; aufs new an Tag geben durch* JOH. HUSERUM. Basel, 1589. Part. II. p. 321.

2) *Ibid.* P. X. p. 489.

3) *Ibid.* P. II. p. 327.

4) *Ibid.* P. II. p. 234.

5) JO. BAPTISTA VAN HELMONT oper. omn. Francof. 1682. p. 436.

6) ATHAN. KIRCHERI *Magnes sive de arte magnetica opus tripartitum* ed. II. Colon. Agrip. 1643. p. 722.

7) PARACELS. P. II. p. 236.

8) *Panth. hygiastic. Hippocratico-Hermeticum de hominis vita ad CXX. annos salubriter producenda aut. et coll.* CLAUD. DEODATO. Bruntruti 1628. p. 94.

9) OSW. CROLLII tract. de signaturis internis rerum seu de vera et viva anatomia majoris et minoris mundi p. 20. Appen-

dix ad Ejusd.: *Basilica chymica* ed. JO. MICHAELIS. Genevae 1658.

10) PARACELS. P. VII. p. 131.

11) *Ibid.* P. IV. p. 309.

12) *Consiliorum medicinalium REINERI SOLENANDRI sectiones quinque.* Francof. 1596. p. 502.

13) ATHANAS. KIRCHERI *Mundus subterraneus.* Amstelodami 1665. p. 217.

14) CROLL. p. 38.

15) PARACELS. P. II. p. 107.

*) Quod strictius atque vulgo illis vocabulis exprimebatur ita designamus, quid nonnulla eorum ampliore notione significarint infra visuri. Nimis vero arctis, ut videbimus, signaturae notio circumscribitur finibus a SALOM. ABR. BLEEKRODE, qui in: *Palaeologia regulae therapeut.*: similia similibus curantur. Groningae 1835. p. 69, 70. ad similem solummodo formam medicaminis partis affectae eam refert.

tudinis momenta, quorum collatione certum constitueretur iudicium: signaturae, signacula¹⁶⁾, signationes¹⁷⁾, characterismi¹⁸⁾, imagines¹⁹⁾, notae hieroglyphicae²⁰⁾, characteres, symbolismi, sermones taciti, sigilla, specula, indicia²¹⁾ nominabantur. „Signaturam alicujus rei habere seu ferre“²²⁾, sive „ejusdem esse anatomiae“²³⁾ dicebantur, quae internam rei affinitatem facie externa prodere credebantur.

S E C T. II.

Historiae enarratio.

C A P U T I.

Signaturae primordia.

Quamquam satis constat, magnaue firmatur rationis probabilitate, prima humanorum morborum remedia sola casus fortuna, absque ulla mentis ratiocinatione esse reperta, superadditis nonnullis et divinatione et insomniorum vaticinio¹⁾ et brutorum imitatione²⁾ etc., negari tamen nequit, jam antiquissimis temporibus et rationem quandam valuisse medicaminum inventricem, cujus unius jussu res aegris praeberent medici experientia nondum recognitas, qua in re illius de calida et frigida, et sicca et humida medicaminum natura doctrinae, prima medicae artis juventute propositae, mentionem fecisse sufficiat. Fieri itaque non potuit,

16) REMB. DODONABI Stirpium historiae pemptades sex. Antverpiae 1583. p. 14.

17) Ibid. p. 18.

18) DEODATUS p. 91.

19) PARACELS. P. II. p. 236.

20) DEODAT. p. 91.

21) WOLFG. AMBROS. FABRICIUS Aporema de signaturis plantarum. Norimb. 1654. p. I.

22) De signaturis disputatio phytologica MICHAEL. HEILAND. Lips. 1646.

23) PARACELS. P. IV. p. 258.

1) PLINIUS hist. nat. libr. XXV. cap. 2. Conf. SCIPION. MERCURIUM, PORTAM, PARACELS. et al.

2) PLIN. natur. hist. VIII, 41. XXV, 50. — DIOSCORIDES mater. med. lib. III. c. 80. POLYDORUS VERGILIUS de inventoribus rerum. AGRIPPA de occult. philos. p. 40. Jo. BAPT. PORTA mag. nat. lib. I. c. 10. p. 22—25. CROLL. p. 68. SALOM. ALBERTI oratio de cognitione herbarum. Witteberg. 1585. 8. SOLENANDR. pag. 501. FERNEL. de abd. rer. caus. p. 268. POPPE Kräuterbuch p. 149—154.

quin in illo ratiocinationis tirocinio oculis semiapertis errantes in illud quoque inciderent, ut quae morbis laborarent et quasi perditae iis viderentur humani corporis partes earundem animalium partium esu roborari atque reparari putarent, mox inde, solius servata externae speciei similitudine, ad ejusmodi rationem in plantarum etiam salutarium electione habendam deducti. — Cujus sententiae non frustra quaesivi in veterum medicorum scriptis argumenta. HIPPOCRATES ipse, purissimae, imperfecta ratiocinatione minime inquinatae experientiae cultura excellentissimus, paucissima quidem, nec tamen nulla ita agendi exhibet exempla. Non enim alia ratione perductus capris Scyriis et inprimis caseis lac mulieribus augendi facultatem adscripsisse ³⁾ mihi videtur, sterilibus autem feminis chorion mulieris et vermium qui in carne gignuntur capita commendasse contrita adque uteri osculum supponenda ⁴⁾. E plantis vero Umbilicum Veneris (κοτυληδών, quo verbo et alia et papillae notabantur, quae in animalium ruminantium gravidarum uteris reperiuntur. — Cotyledon Umbilicus L.) et contra uteri inflammationes ⁵⁾ imprimis e partu ortas ⁶⁾, et ad conceptionem juvandam porrigebat, ita quidem, ut ex latis feminas, e parvis vero et conclusis mares procreari putaret ⁷⁾.

Nec nulla rei nostrae documenta in THEOPHRASTI Eresii de historia plantarum scriptis inveniuntur. Nam non modo in capillorum defluvio Capillo Veneris (Τριχομανές, Ἀδλιαντον) tribuitur utilitas ⁸⁾, sed herbam quandam, scorpionem similitudine referentem, contra ejusdem ictum valere, aliam polyporum cirros repraesentantem, ubi quis eam contigerit polypos generare ita nobis narrat: „Ἐνταῦθα δὲ ἰδιόμορφοι τινες. Ὡς περ ἦτε τοῦ σκορπίου καλουμένου, καὶ ἡ τοῦ πολυποδίου. Ἡ μὲν γὰρ ὁμοία σκορπίῳ. Καὶ χρησίμη δὲ πρὸς τὴν πληγὴν αὐτοῦ καὶ πρὸς ἄλλ' ἅττα. Ἡ δὲ τοῦ πολυποδίου δρασεῖα, καὶ ἔχουσα κοτυληδόνας ὡς περ αἱ τοῦ πολυποδος πλεκτάται. Καθαίρει δὲ κάτω. Κἂν περιάρηται τις, ὡς φασιν ἐμφύεσθαι πολύπουν“ ⁹⁾. Alio loco ¹⁰⁾

3) Ἰπποκράτους γυναικείων πρῶτον, ed. Foësius. Geneva 1657. p. 603.

4) Ibid. p. 622.

5) Περὶ γυναικείης φύσεως. p. 582.

6) Γυναικείων πρῶτον p. 629.

7) Περὶ ἀφύρων p. 683: „Αἱ πλατεῖαι θηλύγονοι δοκοῦσιν εἶναι, αἱ δὲ σμικρὰ καὶ συμμνούσαι ἀρσενόγονοι.“

8) Lib. VII. c. 13.

9) Lib. IX. c. 14.

10) Lib. IX. cap. 19. cf. eod.

repetitis de Thelyphono (θηλύφονον· οἱ δὲ σκορπίον καλοῦσι· διὰ τὸ τὴν ῥίζαν ὁμοίως ἔχειν τῷ σκορπίῳ) dictis ita pergit: „Εἰ δὲ ἀληθῆ τὰ περὶ τῶν σκορπίων, ἤδη καὶ τ' ἄλλα οὐκ ἀπίθανα τὰ τοιαῦτα. Καὶ τὰ μυθώδη δὲ οὐκ ἀλόγως σύγκειται. Ἐν δὲ τοῖς ἡμετέροις σώμασι χωρὶς τῶν πρὸς ὑγείαν καὶ νόσον καὶ θάνατον καὶ πρὸς ἄλλας δυνάμεις ἔχειν φασὶν οὐ μόνον περὶ τῶν σωματικῶν, περὶ τὸ γεννᾶν καὶ ἀγονεῖν καὶ ἐνιάγει ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ποιεῖν ἄμφω. Καθάπερ ἐπὶ τοῦ ὀρχέως καλουμένου. Δυοῖν γὰρ ὄντοιιν τοῦ μὲν μεγάλου τοῦ δὲ μικροῦ, τὸν μὲν μέγαν ἐνεργότερον ποιεῖν πρὸς τὰς ὀμιλίαις ἐν γάλακτι διδόμενου αἰγὸς ὀρεινόμενου. Τὸν δὲ ἐλάττω γίνεσθαι καὶ κωλύειν.“ — Quibus Orchidis tamquam signatura, argumentum illud arti nostrae deditorum fere maximum, jam tertio ante Christum natum saeculo nobis exhibetur. Huc denique referendum, quod herbae mulae appellatae folia admixto nonnihil ungulae coriique mulini steriles mulieres facere dicuntur ¹¹⁾. — Quam propensum praeterea fuisse Theophrastum ad similitudines plantarum formis non modo sed ipsius crescentiae et universae vitae rationi ex animalium regno investigandas signaturae cultorum more, et depingendas, cum aliis multis tum eo eximie patefit loco, quo de Lappa his agit verbis ¹²⁾: „Ἰδιον δὲ καὶ τὸ περὶ τὴν ἀπαρλήνην, ἣ καὶ τῶν ἱματίων ἀντέχεται διὰ τὴν τραχύτητα. Καὶ ἔστι δυσσαφαίρετον. Ἐν τούτῳ γὰρ ἐγγίνεται τῷ τραχεῖ τὸ ἄνθος οὐ προῖον, οὐδὲ ἐκφαίνον, ἀλλ' ἐν ἑαυτῷ πεττόμενον καὶ σπερμογονοῦν. Ὅστε παρόμοιον εἶναι τὸ συμβαῖνον, ὥσπερ ἐπὶ τῶν γαλέων καὶ κρηνῶν, ἐκεῖνά τε γὰρ ἐν ἑαυτοῖς ὠστοκῆσαντα ζωογονεῖ. Καὶ αὐτὴ τὸ ἄνθος ἐν ἑαυτῇ κατέχουσα καὶ πέττουσα καρποτοκεῖ.“ Ecce causam, cur easdem ac viperae Lappae tribuerint vires signaturae scriptores ¹³⁾.

Plurima, quae Theophrastus commemoravit, repetuntur a Dioscoride: alopecias idem densare dicitur Trichomanes ¹⁴⁾, nec non aliud etiam Adiantum, Polytrichon multis nominatum ¹⁵⁾, contra scorpionum

cap. sub finem, quae de marifica et feminifica (ἀρρῆενόγονος καὶ θηλύγονος) herba dicuntur.

11) Lib. mod. l.

12) Lib. VII. c. 14.

13) Vid. PORTA mag. nat. lib. I. c. 11. p. 26.

14) Περὶ ὕλης ἱατρικῆς lib. IV. c. 137.

15) Eod. libr. c. 136.

ictus praesentis auxilii Scorpioides, semine caudae scorpionis effigiem exprimens ¹⁶). Similiter habet de Orchide (Ὁρχις οἱ δὲ κυνὸς ὄρχιν καλοῦσι), cujus bulbo tenero ad excitandam, arido ad inhibendam libidinem mulieres uti Thessalicas, ab aliis proditum est: si majorem edant viri, mares generari, si minorem feminae, alterius sexus liberos ¹⁷). Eademque vires et aliis Orchidearum speciebus tribuuntur: Serapiadi ¹⁸), Satyrio ¹⁹), Satyrio erythronico ²⁰) et Hormino ²¹), quarum penultima, si dumtaxat manu teneatur, Venerem stimulare credebatur. Permultis deinde adjectis novis rei exemplis: Oxyacanthae radicem tritam et illitam infixa corpori spiculā et aculeos extrahere ²²), Phalangii (φαλάγγιον οἱ δὲ φαλαγγίτιον οἱ δὲ καὶ ταύτην λευκάκανθαν καλοῦσι) folia semen et florem contra scorpionum ictus phalangiorumque morsus valere ²³). Hemionitidi sive Splenio (Ἡμιόνιτις οἱ δὲ σπλήνιον, φύλλον οὐνύησιν ὁμοίου δράκοντιώ, μηροειδές) lienem absumendi tribuitur vis ²⁴), Lithospermo autem (Λιθόσπερμον οἱ δὲ αἰγώνυχον οἱ δὲ ἐξώνυχον, οἱ δὲ ἡράκλειαν διὰ τὴν περὶ τὸ σπέρμα ἰσχύν· ὄθεν καὶ λιθόσπερμον ὠνόμασται) calculos, frangendi urinasque pellendi ²⁵). Xiphii (Ξίφιον οἱ δὲ φάσγανον, οἱ δὲ μαχαιρώνιον καλοῦσι, διὰ τὸ τοῦ φύλλου σχῆμα) radix superior (ρίζας β'. τὴν μὲν μίαν ἐπὶ τῆς ἐτέρας καθήμενην ὡσπερ βολβία μικρά· τούτων ἡ μὲν κάτω ἰσχνή ἐστίν, ἡ δὲ ἄνωθεν ἀδροτέρα) et ad aculeos e corpore extrahendos, et ad veneris appetentiam faciendam, inferior ad sterilitatem inducendam praedicatur ²⁶). Echii semina viperæ capitulis comparantur auxiliarique dicuntur hominibus a serpentibus morsis ²⁷). Quinquifolium (πεντάφυλλον) digitorum pterygiis ²⁸), Lichen impetigini mederi ²⁹)

16) Lib. IV. c. 195: „Σκορπιοειδὲς βοτάνιον φύλλα ἔχον ὀλίγα, καὶ σπέρματα οὐραῖς σκορπίου ἐμφερεῖ. Βοηθεῖ δὲ καταπλαστώμενα σκορπιοπλήκτροις ἀκρως.“

17) Lib. III. c. 141.

18) Lib. eod. c. 142.

19) Lib. eod. c. 143.

20) Lib. eod. c. 144.

21) Lib. eod. c. 145.

22) Lib. I. c. 122.

23) Lib. III. c. 122.

24) Lib. eod. c. 152.

25) Lib. eod. c. 158.

26) Lib. IV. c. 20.

27) Lib. IV. c. 27: „Τὰ δὲ ἄνω παρὰ τὰ φύλλα πορφυροειδῆ ἐν οἷς καὶ ὁ καρπὸς κεφαλῇ ἔχεις ὁμοίος· ῥίζα δὲ λεπτότερα δακτύλου, ὑπομέλαινα, ἥτις οὐ μόνον τοῖς δηχθεῖσιν ὕδρῳ ἐρπετῶν βοηθεῖ ποθεῖσα μετ' οἴνου ἀλλὰ καὶ τοὺς προπίοντας ἀδήκτους ποιεῖ. Ὁμοίως δὲ καὶ τὰ φύλλα καὶ ὁ καρπός.“

28) Lib. eod. c. 42.

29) Lib. eod. c. 53.

traditur, Chrysanthemī flores (ἀνθη μήλινα ἰσχυρῶς στίλβοντα) regio morbo correptis commendantur³⁰), Psyllium vero, cujus semen pulicibus simile (σπέρμα ψύλλοις ὁμοιον), ad pulices arcendos³¹). Aconiti radice, scorpionis caudam aemulante (ὄλιζα ὁμοία σκορπιου οὐρά), contactus scorpīus fertur torpescere³²), ad amatoria Umbilici Veneris laudatur usus³³). Aegilops contra ejusdem nominis oculorum morbum³⁴) valere existimatur, lactariae herbae pituitam per alvum trahere putantur³⁵). Mercurialis (Λινοζῶσις οἱ δὲ παρθένιον, οἱ δὲ Ἐρμοῦ βοτάνιον καλοῦσι) femina ad conceptionem juvandam mulieribus, mas, qui masculos gignere cupiant, maribus commendatur³⁶). Neque desunt remediorum ex animalium regno simili ratione sumendorum exempla: cancri v. gr. fluviatiles contra scorpionum ictus et phalangiorum morsus auxiliari dicuntur³⁷), vulpinus pulmo suspiriosos adjuvare³⁸), canis rabidi jecur hydrophobicos sanare³⁹), ipse scorpīus, quem vibravit ictum tritus et percusso loco impositus innoxium reddere⁴⁰) creditur, leporis denique coagulum et feminis fluxione ab utero laborantibus et ad conceptionem adjuvandam commendatur⁴¹).

Longe plurima vero exempla similitudinis, quam in medicaminibus eligendis jam illis temporibus curarunt, exempla PLINIUS nobis exhibet, diligentissimus et Graecae Romanaeque medicinae collector. Quarenti enimvero tibi medicinas ex animalium regno ejusmodi ratione depromptas, in XXVIII—XXX nec non XXXII historiae naturalis libris saepissime occurrent, e quarum copia attulisse sufficiat lienem et bubulum et vitulinum et hoedinum et asinum in morbis splenicis⁴²), jecur vaccinum et caprinum in morbis coeliacis⁴³) commendata, vesicam apri viris, suis feminae mulieribus in vesicae calculorumque cruciatibus mandendam, renesque et leporis et asini non minus vesicae salutare⁴⁴), talpae dentem dentium dolores

30) Lib. IV. c. 58.

31) Lib. eod. c. 70.

32) Lib. eod. c. 77.

33) Lib. eod. c. 93.

34) Lib. eod. c. 139.

35) Lib. eod. c. 165.

36) Lib. eod. c. 191.

37) Lib. II. c. 12.

38) Lib. eod. c. 41.

39) Lib. eod. c. 49.

40) Περὶ λοβόλων καὶ τῆς τῶν ἀπ' αὐτῶν πληγέντων σημειώσεως καὶ θηραπείας, cap. 23.

41) Hist. plant. lib. II. c. 85.

42) L. I. lib. XXVIII. sect. 57.

43) L. I. sect. 58.

44) L. I. sect. 60.

sanantem ⁴⁵⁾, mustelae jecinora jecoris doloribus adversaria ⁴⁶⁾, lienisque vel pecudis vel canis vel erinacei lienem ⁴⁷⁾, avem icteri nomine a colore nominatam, quae si spectetur morbum depellat regium ⁴⁸⁾, agninum coagulum infantibus lacte concreto vexatis utilissime porrigendum ⁴⁹⁾, animal denique „herpes“ a Graecis vocatum, quo praecipue sanentur quaecunque serpant ⁵⁰⁾. — Neque rarius in herbariis remediis inveniuntur, quae sententiam nostram de similitudinis medicaminum inventricis antiquitate mire confirmant, interque alia huc referenda sunt: Eryngii species adversus ictus morsusque ⁵¹⁾, adque extrahenda corpori infixi ⁵²⁾ porrigendae, Scorpio herba quae contra sui nominis animal dicitur valere ⁵³⁾, quae eadem et Scorpiuro tribuitur vis ⁵⁴⁾, Saxifraga in lithiasi magni habita ⁵⁵⁾, Pyracantha, cujus baccae ⁵⁶⁾ sicut „alius spiniae generis“, Paliuri, semina ⁵⁷⁾ contra serpentium ictus bibantur, herba in capite statuae nata capitis dolorem confectim sedans ⁵⁸⁾, Veneris pecten (Scandix?) omnia corpori infixi extrahens ⁵⁹⁾, Spongiolae in mediis spinis cynorrhodi nascentes (*Schlaf-äpfel*) alopecias capitis expleturae ⁶⁰⁾, Dracunculus contra serpentium morsus laudatus ⁶¹⁾, Mercurialis

45) Lib. XXX. sect. 7.

46) L. I. sect. 16.

47) L. I. sect. 17.

48) L. I. sect. 28.

49) L. I. sect. 47.

50) L. I. sect. 39.

51) Lib. XXII. sect. 8: „clara in primis aculeatarum Erynge est sive Eryngion contra serpentes et venena omnia nascens. Adversus ictus morsusque radix ejus bibitur drachmae pondere in vino.“

52) L. I. sect. 9.

53) L. I. sect. 17: „ex argumento nomen accepit Scorpio herba. Semen enim habet ad similitudinem caudae scorpionis, folia pauca. Valet et adversus animal nominis sui.“

54) L. I. sect. 29: „semen ei est effigie scorpionis caudae: quare ei nomen. Vis ad omnia venenata et phalangia: sed contra scorpiones praecipue illita. Non feriuntur habentes.“

55) Ex vivae plantae in saxa ubi nascitur actione nomen ortum fuisse videtur et omen. Plinius vero tanti aestimavit herbae calculos pellendi facultatem, ut ne dubitaret quidem saxa nominare calculos renales ad parandam sententiae auctoritatem. Lib. XXII. sect. 30: „calculos e corpore mire pellit frangitque (sc. Adiantum candidius) utique nigrum. Qua de causa potius, quam quod in saxis nasceretur, a nostris saxifragam appellatum crediderim.“

56) Lib. XXIV. sect. 70.

57) L. I. sect. 71.

58) L. I. sect. 106.

59) L. I. sect. 114: „Veneris pectinem appellant a similitudine pectinum, cujus radix cum malva tusa omnia corpori infixi extrahens.“

60) Lib. XXIV. sect. 6.

61) Ibid. „in eadem provincia cognovi in agro hospitis nuper

mas qui ut mares, femina, ut feminas gignantur per esum facere dicuntur ⁶²⁾, Aegilops ejusdem nominis morbo adversaria ⁶³⁾, Cotyledon ⁶⁴⁾, quod oculis mederi fertur, lichen herba, quae omnibus lichenis morbi remediis praefertur ⁶⁵⁾, Orchis cujus radici geminae notae tribuuntur vires ⁶⁶⁾ itidem ac Satyrii generibus ⁶⁷⁾, Arsenogonum cujus semen geminum, testibus comparatum, mares generari epotum prohibere dicitur ⁶⁸⁾, Mastos pilos mammarum e partu nascentium auferre credita ⁶⁹⁾, Aconitum radice scorpionum modo incurvata, quod scorpiones tactu interficere traditur ⁷⁰⁾, Chrysolachanum, flore aureo, quod morbi regii habetur remedium ⁷¹⁾, Lithospermum ad calculos frangendos et stranguriam discutiendam laudatissimum ⁷²⁾, Trichomanes denique illitum capillos defluentes cohibiturum, effluxos reparaturum, alopecias densaturum ⁷³⁾. Insignia inprimis et ea sunt quae de Eriphia leguntur: „Eriphiam multi prodidere. Scarabeum haec in avena habet, sursum deorsum decurrentem cum sono hœdi, unde èt nomen accepit. Hac ad vocem nihil praestantius esse tradunt“ ⁷⁴⁾. — Ut ad lapides e plantis transeant: Galactites lactis augere foecunditatem ⁷⁵⁾, Ophites serpentium instar maculis conspersus sedare serpentium ictus ⁷⁶⁾, Haematites („Haematiten discernunt venae rubentes“) et sanguinem rejicientibus, et oculis cruore suffusis et profluvio mulierum mire convenire ⁷⁷⁾ dicuntur.

SORANUS Ephesius in mammarum carcinomate fluviatiles caneros praestantissimum dixit remedium ⁷⁸⁾.

ibi repertum dracunculum appellatum caulem, pollicari crassitudine, versicoloribus viperarum maculis, quem ferebant contra omnium morsus esse remedio.“ Cf. lib. XXIV. sect. 93.

62) Lib. XXV. sect. 18.

63) L. I. sect. 93.

64) L. I. sect. 101: „sordidis foliis, latioribus, densioribusque circa radicem velut oculus cingentibus.“

65) Lib. XXVI. sect. 10.

66) L. I. sect. 62.

67) Ibid. et sect. 63.

68) L. I. sect. 91.

69) L. I. sect. 92.

70) Lib. XXVII. sect. 2.

71) L. I. sect. 43.

72) Lib. XXVII. sect. 74.

73) L. I. sect. 111.

74) Lib. XXIV. c. 18.

75) Lib. XXXVII. c. 10. „Galactites ex vivo colore lactis est. Eandem dicunt leucam, et leucographiam appellant, et synnephten tritam lactis succo ac sapore notabilem. In educatione nutricibus lactis foecunditatem, infantium quoque alligata collo salivam facere dicitur, in ore autem liquescere.“

76) Lib. XXXVI. c. 7.

77) Lib. eod. c. 20.

78) SORANI Ephesii de arte obstetricia morbisque mulierum

Haec omnia si respicimus exempla, negare non licebit aliquam in remediis antiquissimis temporibus electis similitudinem exercuisse vim, multum vero abest, quin ita acerrimis adstipulemur signaturae aevi medii defensoribus, ipsius disciplinae originem ex illa antiquitate ducentibus, audacter satis atque temere: neque enim alia afferunt sententiae argumenta neque nostrorum exemplorum nisi minima ex parte sunt gnari. Nemo autem istorum a quibus nostra petimus argumenta autorum similitudine methodice utitur ad repertienda morborum remedia. Quodcumque enim Theophrastus vel Dioscorides medicaminis efficaciam ratione quadam probare volunt, ad quatuor illas qualitates refugiunt ab Hippocrate propositas, nec unquam similitudinem virium salutarium vel inventricem vel probatricem expressis designant verbis, ut etiamsi medicaminis cujusdam cum vel parte affecta vel ipso morbo, vel causa morbifera similitudinem cognovisse eos appareat, vinculi qualiscunque efficaciam salutarem effigiemque nectentis omnino videantur inscii, atque in vulgi potius, pristini scientiae medicinalis possessoris, qualicumque notitia similium remediorum electionis argumenta lateant. — Primum scriptorum Plinium invenio aliquem efficaciae sanatricis externaque faciei in plantis nexum aperte indignantem. Etiamsi enim non magni facimus, quod, descripta Orchidis radice testicularumque similitudine, vis illius concitatrix verbis annectitur „ita ut“⁷⁹⁾, neglecta etiam signorum e colorum amoenitate, odoris suavitate saporisve dulcedine sumendorum adumbratione verbis exhibita: „illa enim (sc. genera herbarum) majore in parte cibi aut odoris decorisve commendatio ad numerosa experimenta duxit“⁸⁰⁾, satiusque explicata: „dederat, quas diximus, molles cibusque gratas. Pinxerat remedia in flo-

quae supersunt. Regim. Pruss. 1838. p. 140. — Tertium, quod dicunt, comparationis, unde primo morbi nomen deinde de animalis salubritate fluxisse videtur opinio, *regressum* habeam, quamvis non defuerunt, qui turgidas, quibus glandulae scirrhosae cinguntur, venas cancri pedibus compararent ut STEPH. BLANCARDUS Lexicon. medicin. renov. ed. noviss. a Jo. HENR.

SCHULZIO. Lovanii 1754. pag. 178.

79) Lib. XXVI. sect. 62: „sed inter pauca mirabilis est Orchis herba sive Serapias, foliis porri, caule palmeo, flore purpureo; gemina radice testiculis simili: ita ut major sive (ut aliqui dicunt) durior ex aqua pota excitet libidinem: minor sive mollior e lacte caprino inhibeat.“

80) Lib. XXII. sect. 1.

ribus, visuque ipso animos invitaverat etiam deliciis auxilia permiscens⁸¹⁾: negari tamen non potest illud, quod „ex rerum sympathia et antipathia“ nominarunt, signaturae genus perspicue praeformatum esse a Plinio, qui narratis nonnullis discordiae illius atque concordiae rerum naturalium exemplis⁸²⁾: „hinc“, pergit, „nata medicina. Haec sola naturae placuerat esse remedia parata vulgo, inventu facilia ac sine impendio, et quibus vivimus. Postea fraudes hominum et ingeniorum capturae officinas invenere istas, in quibus sua cuique homini venalis promittitur vita. Statim compositiones et mixturae inexplicabiles decantantur etc.“⁸³⁾. Cui autem omnia haec dubia videntur atque fallacia argumenta, ad alium eum rejicio locum, quo distinctissimis atque clarissimis verbis nostra firmatur sententia. De Lithospermo etenim ita fere disserit Plinius⁸⁴⁾: „inter omnes herbas Lithospermo nihil est mirabilius. — Gerit juxta folia singulas veluti barbulas et earum in cacuminibus lapillos candore et rotunditate margaritarum, magnitudine ciceris, duritia vero lapidea. Ipsi, quo pediculis adhaereant cavernulas habent et intus semen. — Nec quicquam inter herbas majore quidem miraculo adspexi. Tantus est decor, velut aurificum arte alternis inter folia candicantibus margaritis: tam exquisita difficultas lapidis ex herba nascentis. — Iis lapillis drachmae pondere potis in vino albo calculos frangi pellicque constat, et stranguriam discuti. *Neque in alia herbarum fides est visu statim, ad quam medicinam nata sit. Est autem ejus species ut etiam sine auctore visu statim nosci possit.*“

Quod igitur diximus externae similitudinis in eligendis morborum remediis non methodicam et consideratam, sed temerariam magis et fortuitam illis temporibus fuisse adhibitionem, cum de Dogmatico-Hippocraticorum valet medicina sensuum cognitioni omnino non invita, tum magis etiam scholis medicorum mere philosophicis ejusmodi similitudinis observatio fuit aliena, maxime autem ab ejus quae inprimis tunc temporis florebat Methodicorum doctrinae indole abhorruit. Praecipue vero, quominus jam in veterum me-

.81) Ibid. sect. 7.

82) Inter quae memoranda: quercus oleaeque, atque vitis et brassicae mutua odia, picis

oleique, olei calcisque, aceti et gummatos concordiae.

83) Lib. XXIV. sect. 1.

84) Lib. XXVII. sect. 74.

dicina consisteret ars nostra, nova impedivit, quae nunc consideranda est ratio vires medicaminum explorandi, quam GALENUS iniit. Quam enim Empedocles primus concitavit⁸⁵⁾, medici inde ab Hippocrate verbis potius quam re secuti sunt de quatuor elementis, et alia omnia et humanum corpus componentibus, primariasque ejusdem qualitates constituentibus, sententiam inprimis coluit, explicavit, amplificavit CLAUDIUS GALENUS⁸⁶⁾, neque modo in revelando corporis nostri et sano et morbooso statu, sed in medicaminum etiam definiendis facultatibus maximum illis dedit locum⁸⁷⁾, ubi ne constitit quidem in Hippocraticis illis quatuor qualitatibus, sed quatuor addidit singularum gradus, sic, ut tantum de caloris temperie exemplum afferam, a modice calidis separavit ea, quae evidenti ejusmodi qualitate praecellunt, tum quae magna, et vehementi, adeo ut urere videantur⁸⁸⁾. Adjecit praeterea primis illis calefaciendi vel refrigerandi, vel siccandi vel humectandi facultatibus omnibus rebus communibus, secundas atque tertias singulis rebus singulares rarefaciendi, condensandi, emolliendi, illinendi etc., atque ulterius: urinas ciendi, vomitus proritandi, ventres subducendi similesque facultates, potius non facultates sed opera, quae edere natae sint res pro singulari sua primarum qualitatum mixtione atque temperie, quae igitur premere et captare empirici sit, medicum vero rationem potissimum spectantem non deceat, cui omnia ad veras illas primarias qualitates sint revocanda⁸⁹⁾. Quaerentibus vero nobis quibus auxiliis cognoscendas esse docuerit primarias illas medicaminum facultates, rectae sensuum nostrorum cognitioni non praeferre, sed adjungere aliquando videtur experimentorum con-

85) „Ἐτι τε τούτων ἐμπρόσθεν Ἐμπεδοκλῆς ἐξ ἀμεταβλήτων τῶν τεττάρων στοιχείων ἤγειτο γίνεσθαι τὴν τῶν συνθέτων σωμάτων φύσιν.“ Galen. in Hipp. de natur. hom. Comm. I. ed. KUEHN p. 32.

86) De elementis.

87) De simpl. med. fac. lib. V. In HIPPOCRAT. de natur. homin. Comm. I. ed. KUEHN p. 40: „Δείκνται δὲ καὶ τὰ φάρμακα πάντα διὰ τοῦ θερμαίνειν ἢ ψύχειν, ἢ ξηραίνειν, ἢ ὑγραίνειν ἐνεργ-

γῶντα. Πρώται γὰρ αὐταὶ αἱ ποιότητές εἰσι δραστικά τε καὶ ἀλλοιωτικά τῶν σωμάτων.“

88) De compos. med. secund. gen. lib. I. c. 2. ed. KUEHN p. 368: „Ἐλκότως οὖν ἡμεῖς ἐποίησάμεθα τέσσαρας τάξεις ἐν τοῖς θερμαίνουσι, διορισάμενοι τῶν ἐπ' ὀλίγον θερμαίνοντων τὰ τε σαφῶς τοῦτο δρῶντα καὶ τὰ πάννυ θερμαίνοντα καὶ τὰ σφόδρα μετὰ τοῦ καίειν.“

89) De simpl. med. fac. lib. V. c. 1.

silia, corporis humani assumpto medicamine conditionem tamquam habeat sexti sensus perceptionem⁹⁰⁾, irridensque eorum sententiam, qui sensus in explorandis medicaminum facultatibus contemnunt⁹¹⁾, varia et saporum et colorum et tactus et odorum genera, utpote ex primariis qualitatibus proxime prodeuntia, accurate designare non dedignatur⁹²⁾. Atque, ut singula attingamus, gustu omnium rerum naturas dignosci posse non verbis modo⁹³⁾ sed re affirmare studet, cum per totum fere quartum de simplicium medicaminum facultatibus conscriptum librum in eo sit, ut, quomodo sola lingua rerum „temperamenta“ assequamur fusius demonstret variis, et caloris et frigoris et siccitatis et humiditatis generibus varias vindicans saporum, quorum in alimentorum etiam praesagiendis facultatibus certam testatur fidem⁹⁴⁾. Nec minus de odore tamquam remediorum inventore certas nobis aperit regulas⁹⁵⁾, attamen non tam solidam esse rem ex odore de medicaminum temperie conjicere, quam ex gustu asserit⁹⁶⁾, ex coloribus denique, quamvis de eorum quoque significatione nonnihil disputet, minime de medicinarum virtutibus certi aliquid colligendum esse dicit⁹⁷⁾, ita ut ex universa disquisitione ad hoc Galenus perveniat consilium: „ὥστ' εἶ τι κἄν τευθεν (ex colore sc.) ἐγχωρεῖ περὶ φαρμάκων δυνάμεως τεκμαίρε-

90) In HIPPOCR. de nat. hom. Comm. prim. p. 4. ed. ΚΥΒΗΝ.

91) De simpl. med. fac. lib. I. c. 28.

92) In HIPPOCR. de nat. hom. Comment. I. ed. ΚΥΒΗΝ p. 40: „Επονται δὲ αὐτᾶς (primas qualitates) αἷ τε κατὰ γεῦσιν ποιότητες, ὧν ὀνόματα στύψις“ κ. τ. λ.

93) De simpl. med. fac. lib. IV. c. 1. ed. ΚΥΒΗΝ p. 620: „Πάσχει μὲν γὰρ δήπου καὶ τᾶλλα τοῦ ζώου μόρια τῇ γλώττῃ παραπλησίως, οὐ μὴν ἀκριβῶς αἰσθάνεται τῶν παθῶν, ἣ δὲ γε πρὸς τῷ πάσχειν ἔτι καὶ τὸ τῆς αἰσθήσεως ἀκριβῆς κεκτημένη διαγνωστικὴ τῆς φύσεως ἀπάντων τούτων ἐστίν.“

94) De aliment. fac. lib. I. c. 1. ed. ΚΥΒΗΝ p. 475: „Πρόδηλον οὖν, ὅτι τὰ τοιαῦτα τὴν αὐτὴν

ἔχει δυνάμιν ἐκείνοις τῶν φαρμάκων, οἷς ὁμοιοῦται κατὰ τὸν χυμὸν;“ et p. 477: „ἐφ' ὧν οὐ χρὴ ταῖς τῶν χυμῶν δυνάμεσιν ἀπιστεῖν, ὡς κατεργαζομέναις ἀν φύσιν ἔχουσιν ἐνεργεῖν.“

95) De simpl. med. fac. lib. IV. c. 21.

96) Ibid. cap. 23. ed. ΚΥΒΗΝ p. 700: „Ὅθεν οὐδ' ἀσφαλὲς ἐξ ὁσμῆς τεκμαίρεσθαι περὶ τῆς κρᾶσεως τῶν αἰσθητῶν, ὡς περ ἐκ τῆς γεύσεως.“ Causam odoris hac in re fallacis affert: non aequae omnes rerum partes evaporare neque perinde sensum movere, in gustu autem omnes rerum gustabilium particulas in linguam incidere.

97) Ibid. p. 702: „ἔτι δὲ μάλλον οὐδ' ἐκ τῶν χρωμάτων ἐνεστι στοχάσασθαι τι περὶ τῆς τῶν φαρμάκων δυνάμεως.“

σθαι, προσκείσθω τῷ λόγῳ κάλλιστον μὲν, ὡς εἴρηται τε καὶ λέλεκται πολλάκις, ἐκ τῆς διωρισμένης πείρας ἐξευρίσκειν τὰς δυνάμεις· οὐ γὰρ ἂν σφαλείης οὐδὲ ἐν τῆδε, πρὶν μέντοι τῇ πείρῃ διαγνῶναι τὴν δύναμιν, ἢ γεῦσις ἐκδεικνυται τὰ πολλὰ, συνεπιμαρτυρούσης, ὡς εἴρηται βραχέα καὶ τῆς ὁσμῆς“⁹⁸), quod multis etiam aliis repetitur locis, tum enim admodum lubricam dicet rem neque paucis obtineri fallendi modis a rebus externis ducere argumenta, quare id agentibus diligenter advertere consulit rerum animum⁹⁹), tum, qui aut colores aut odores aut consistentiam aut formas medicaminum ad explorandas aestiment eorum vires, iis comparat, qui ex imagine picta aut ficta cognoscere quempiam velint cum ipsum adspicere non denegetur¹⁰⁰), tum neque a colore, neque ab odore, neque consistentia, neque levitate, neque asperitate de medicaminum virtutibus ratiocinari oportere¹⁰¹), tum in experientia et iudicandi et dignoscendi consistere rationem contendit¹⁰²), neque solummodo praeferendam rationi censet experientiam propter iudicii ex illa quaerendi difficultatem, nonnisi ab exercitatissimis maximeque solertis ingenii hominibus superandam¹⁰³), sed omnino unam statuit experientiae viam qua facultates illae per demonstrationem („ἐνδεικτικῶς“^c) inveniantur¹⁰⁴).

Quae cum ita sint satis liquet omnino non fuisse Galeni doctrinam illi ex prima rerum apparitione facultates earum medicas divinandi rationi, et enim non

98) De simpl. med. fac. lib. IV. c. 23. ed. ΚΥΒΗΝ p. 703.

99) Lib. I. c. 9.

100) Lib. II. c. 2. p. 464: „εἶσθ' οὕτως ἐναργῆ τε ἅμα καὶ σύντομον ὁδὸν ἔχοντες ἐφ' ἃ ζητοῦμεν, ἔτι χροῶς, ἐξετάσομεν, ἢ ὁσμῆς, ἢ συστάσεις, ἢ ψόφους ἐκάστου τῶν φαρμάκων ὁμοίον τε δρῶντες, τοῖς ἐξ εἰκότος ἤτοι πλαστῆς, ἢ γραπτῆς ἀνθρώπων τινα διαγνῶναι βουλομένοις ἐνδὸν, αὐτὸν θεάσασθαι τὸν γνωρισθ-σόμενον.“

101) De simpl. med. fac. lib. II. c. 3.

102) Lib. III. c. 9. ed. ΚΥΒΗΝ p. 558: „Ὅποτε ἐν τῇ πείρᾳ καὶ τὰ τῆς κρίσεως ἔσται καὶ τὰ τῆς διαγνώσεως, ἣν ἀφέντες οἱ πολ-

λοὶ τῶν λατρῶν εἰ ἐρυθρόν ἐστὶν τὸ ῥόδον ἢ εὐῶδες ἐπισκόποῦνται.“

103) De aliment. facult. lib. I. c. 1. ed. ΚΥΒΗΝ p. 454: „Ὅσῶν δὲ τῶν διὰ τοῦ λόγου κρίσεων οὐχ ἅπασιν ὁμοίως εὐπετῶν, ἐπειδὴ καὶ συνετὸν εἶναι χρῆ φύσει, καὶ γυμνάσθαι κατὰ τὴν παιδικὴν ἡλικίαν τοῖς θήγουσι μαθήμασι τὸν λογισμὸν, ἀμεινον ἀπὸ τῆς πείρας ἀρξασθαι.“

104) De simpl. medic. facult. lib. X. c. 1. ed. ΚΥΒΗΝ p. 246: „Ἐδείχθη δὲ καὶ ὡς ἡ καθόλου δύναμις ἐκ πείρας μιᾶς ἐνδεικτικῶς εὐρίσκειτο, καὶ οὐ τῆς τυχοῦσης γε πείρας, ἀλλὰ μετὰ τῶν εἰρημένων διορισμῶν γυγνομένης.“

satis sensuum hac in re habet respectum, et quem habet, ab eo ad theoriam transfertur a similitudinis externae aestimatione prorsus alienam. Ita factum est, ut ea quoque, quae sine dubio similitudinis causa inter medicamenta receperant ejusdem antecessores, primariis, quas dicebat, qualitatibus instruere indeque ipsorum efficaciam soleret deducere, qua ratione v. gr. alteri Orchidis bulbo vim adscripsit humidam et flatuosam, calidiorem atque sicciorem alteri¹⁰⁵). Quibus id denique accedit ad magis respuendam artem nostram, quod specifica, quae dicuntur, singularum corporis partium vix admisit remedia¹⁰⁶).

Nec tamen omnino nullum similitudinis externae observationi ad ipsius doctrinam reliquit aditum, cum non id ageret pertinaciter, ut omnem qualemcunque medicam rerum efficaciam ad suos revocaret primarum qualitatuum gradus, sed, quando sibi visus est non satis habere manifestis illis facultatibus, novum attulit virium medicinalium argumentum, „in tota rerum substantia“ (καθ' ὅλην τὴν οὐσίαν) positum, cujus unius auxilio explicaret et complurium lethalium medicamentorum et plerumque epispasticorum nec paucorum alexipharmacorum seu amuletorum, tum purgantium omnium remediorum potestates¹⁰⁷), quorum actionis causam in „totius essentiae“ quaesivit similitudine¹⁰⁸), cujus ope similia adtrahant similia¹⁰⁹). Internam hanc partis affectae et medicaminis familiaritatem non quidem docuit cognoscendam externa similitudine, nec omnino ullam nisi experientia ejusdem admisit cognitionem¹¹⁰),

105) De simpl. medic. facult. lib. VIII. c. 14. ed. ΚΥΒΗΝ p. 92.

106) De simpl. med. fac. lib. V. c. 24. p. 780. Cf. De compos. remedior. secund. loc. lib. I. ab init.

107) De simpl. med. fac. lib. V. c. 1. ed. ΚΥΒΗΝ p. 705: „Ἐδείχθη δὲ καὶ ὡς ἦτοι κατὰ μίαν ἠντιναοῦν ποιότητα τὸ φάρμακον ἀλλοιοῦν πέφυκεν, ἢ θερμοαῖνον ἢ ψυχρον, ἢ ξηραῖνον, ἢ ὑγραῖνον, ἢ κατὰ συζυγίαν τινὰ τῶν εἰρημένων, ἢ καθ' ὅλην αὐτοῦ τὴν οὐσίαν, ὡς περὶ τῶν τε δηλητηρίων ἐνια καὶ τῶν ἀλεξητηρίων οὐκ ὀλίγα καὶ τὰ καθαιρόντα πάντα καὶ τῶν ἐπισπα-

στικῶν ὀνομαζομένων πολλά.“ cf. c. 22 et al.

108) Ibid. c. 17. p. 760: „Ἔστι δὲ καὶ ἑτερόν τι γένος ἐλκτικῶν φαρμάκων, οἰκειότητι ποιότητος ἐπισπώμενον, ὅπερ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ ὁμοιότητι τῆς ὅλης οὐσίας.“

109) Vide in HIPPOCR. de nat. hom. libr. Comm. I. ed. ΚΥΒΗΝ p. 72 et 73. De facult. purgant. medic. libr.

110) De simpl. medic. facult. lib. VI. c. 1. ed. ΚΥΒΗΝ p. 803: „Κατὰ τοῦτον οὖν τὸν τρόπον οὐ περὶ ἀβροτόνου μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἀπάντων γραπτέον ἡμῖν ἐστί, τὰς μὲν κα-

in ipsa vero ejusmodi medicaminum electione atque receptione externam, etiā rerum speciem non contempsisse videtur, certe hac ratione ab aliis inventa non respuit, cum a se ipso multorum huc pertinentium remedium nullum factum esse periculum fateatur ¹¹¹). Ita factum est, ut inter remedia a nostro proposita et pulmonem vulpinum anhelosis, et canis rabidi jecur ab ipso morsis inveniamus adhibenda ¹¹²), et renes scincorum ad stimulandam Venerem ¹¹³), et lupinum hepaticis ¹¹⁴) commendata. Maxime autem eximium, utpote quod prae supra dictis interna, cum externa facile apparentis, similitudinis excludit praetextum, in iis, quae ex RABY MOSIS aphorismis sunt collecta, Galeni fragmentis nobis exstat rei exemplum, ubi ¹¹⁵) verba leguntur: „adjuvatur ictericus coloribus citrinis, quia citrinitatem dissolvunt, et is qui sanguinis sputum sreat, non adjuvatur demonstratione colorum rubrorum quia sanguinem mittunt, et omnis humor purgatur demonstratione colorum similium colori ipsius, et ad interiora corporis impellitur demonstratione contrariorum colori ejus.“

Galeno mortuo velut somnus ille incepit hibernus medicinae, quo per mille amplius annos homines non nisi de iis hallucinabantur, quae summus praeceperat magister errori scilicet non obnoxius, in quo tanta fuit medicorum servitus somnolenta, ut ne deliramenta quidem proferre auderent nova, in ipsa desipientia Galeni quaerentes autoritatem.

Non igitur veritatis habet speciem quod quidam ¹¹⁶) contendunt, jam illis saeculis signaturae doctrinam esse exultam, neque enim rei neque nominis istic inveniuntur argumenta, negari autem non potest illis temporibus non minus ac prioribus similitudinis in eligendis

τὰ τὸ θερμαίνειν καὶ ψύχειν ἢ ὑγραίνειν ἢ ξηραίνειν δυνάμεις ἐξ ὧν πολλάκις εἴρηκα μεθόδων εὐλοκουσῶν, ὅσα δὲ κατὰ τὴν ιδιότητα τῆς ὅλης οὐσίας ἀποτελοῦνται τῇ πείρᾳ μόνῃ.“

111) De simpl. med. fac. lib. X. c. 1. ed. KUEHN p. 248.

112) Ibid. lib. XI. c. 1. p. 335.

113) Ibid. p. 341. Renes tunc temporis in sexualibus organis habitos esse notum est.

114) De compos. pharm. sec.

loc. lib. VIII. cap. 8. ed. KUEHN p. 212: „ἔοικε δὲ τὰ τοιαῦτα καθ' ὅλην τὴν οὐσίαν ἐνέργειν, οὐ κατὰ μίαν ἢ δευτέραν ποιότητα, ὁποῖόν ἐστι καὶ τὸ λύκειον ἤπαρ, οὐ πείραν ἰκανὴν ἔχομεν.“

115) GALENI opera ed. CHARTER. Tom. IX. p. 401. 87. Ex secund. expos. humor.

116) Vid. CARL FR. BURDACH System der Arzneimittellehre, 2te Ausg. Leipz. 1817. Bd. 1. p. 89.



medicaminibus plus minus temerariam quandam habitam esse rationem, quod numerosis copiae illius remediorum mortuae, a MARCELLO partim e medicorum, partim e vulgari usu collatae firmare licet exemplis¹¹⁷). Ita saepissime partes animales adversus earundem hominis partium commendantur morbos; suadetur ut capitis dolores et cornicis et vulturis cerebro (p. 36), hemicrania ossiculis foratis in capite porci inventis (p. 38) repellantur, oculorum claritudo lacertae viridis vel cancri oculis restituatur (p. 58); ex ejusdem sententia oculis interius cruentis (hypoaemati) ranae oculus medetur (p. 67), cervi pulmonibus phthisici homines citissime sanantur (p. 119), ad suspirium depellendum vulpis pulmo valet (p. 122), qui cibos non conficiunt maxima cum utilitate ossifragi ventrem stomacho opponunt (p. 145), qui jecinoris laborat dolore lupi jecur jejunos sumit (p. 159), lienosis hircinus, hoedinus vel vitulinus splen maxime salutaris est (p. 164 et 165), non minus salubriter canino, catulino, asinino (p. 166), herinacei vel catelli lactantis (p. 167) liene utuntur. Contra ischiadem testudinis aquaticae crus praecisum potens censet remedium (p. 174), contra calculum et alias vesicae difficultates lapillus in gallinacei vesica, aut in palumbi ventriculo inventus (p. 176), neque non lapis ex hominis vesica qualibet curatione sublatus (p. 183) utilissime adhibentur, renum morbis et leporis (p. 176) et asini (p. 180) renes medentur, vesica autem verrina comedenda aut bibenda efficaciter datur ei, qui urinam non potest continere (p. 184), eidemque et caprae vesica et verrina genitalia prosunt (p. 185), intestinorum dolores ossifragi intestinum citissime sedat (p. 202), venerem conciliant gallinacei atque milui testiculi (p. 227), ad podagram denique vivo lepori pes amputatus plurimum prodest (p. 246). — Nec minus plantarum, membra humana imitantium, effigie illis temporibus medicos esse provocatos, ut ipsarum usum facerent medicum, non nulla exstant argumenta, testantibus insigniter ejusmodi herbis, quae ipsarum nomine similitudinem earum observatam esse patefaciunt, ut Trichomanes sive Callitrichos, cujus herbae in alopecia eximie laudatur usus (p. 45), et Verrucaria iis, qui verrucas patiantur, commendata

117) MARCELLI de medicament. nos script., per JAN. CORNARUM. empiric., physic. ac rationabilib. Basil. 1536.
Lib. ante MCC. plus minus an-

(p. 132), simili, ut videtur, ratione prunorum nucleis hominibus calculosis porriguntur (p. 183). Neque vero illa quidem similitudinis genera, quae „actionum“ nomine singulari a sequentibus signaturae scriptoribus appellata sunt, tunc esse neglecta constat, herba etenim in capite statuatae cujuslibet nata et capitis dolorem (p. 35) et in specie hemicraniam (p. 39) sanare dicitur, hirundinum et lacertarum oculi, excoecatis animalibus restituti, multum ad oculorum claritudinem reparandam valere putantur (p. 57). Saxifraga herba calculosis quam maxime commendatur (p. 175, 181, 185).

Ceterum quanta cum diligentia et anxietate Galeni de explorandis medicaminum viribus placita secuti sint illis temporibus medici, AETII scriptoris non modo sexto, quo vixit saeculo, sed omni omnino ea aetate in rebus medicis longe celeberrimi exemplo luculenter apparet. Is doctrinae suae de virium salutarium investigatione summam iisdem, quibus Galenus usus est (vid. supra p. 18), persequitur verbis ¹¹⁸), atque in remedium ex tribus naturae regnis collectorum expositione, quamvis non repudiet medicamina a similitudine verisimilitate antecessoribus commendata ¹¹⁹), ad primarum qualitatum gradus omnia cum magistro refert Galeno.

Ejusdemque arte premunt vestigia: PAULUS AEGINETA ita sentiens: „neque odoratu conjici certo satis de naturalium corporum temperamento potest.“ — „Magis etiam lubricum ex colore judicium est quando calida, frigida, humida, sicca in unoquoque colore deprehenduntur. Gustu autem, quia aequaliter gustabilium omnium partes linguae incidunt et sensum eum pariter movent in tantum, ut manifeste ex hoc temperaturae eorum vis inveniri ac deprehendi queat“ ¹²⁰), et ACTUARIUS ubi de differentia disputat qualitatum et facultatum quae illis insunt ¹²¹).

Orientalis morientis Graecorum medicinae haeredes, Arabes, quamvis praeter maximam et quasi sacram Galeni auctoritatem ipsa religionis praecepta a libera eos prohiberent cogitatione, eo tamen usque pietatem

118) Tetrabiblion ed. Aldin. 1534. fol. 3. p. 1.

119) Cf. quae dicit de Adianto, Aegilope, Lichene, Orchidis speciebus et al. serm. I. tetrabibl. 1. atque de lapidibus Hae-

matitite et Galactitite aliisque, serm. II. tetrabibl. 1.

120) PAULI AEGINETAE opus divinum interpr. ALBANO TORINO. Basil. 1532.

121) De spirit. animal. II. c. 4.

laeserunt Pergameno adhuc servatam, ut, nisi demendo atque evertendo, addendo certe et superinstruendo doctrinam mutarent ab ipso acceptam. Qua in re imprimis excelluerunt: ALKHENDI qui gradatione geometrica („geometricis proportionibus“) Galeni auxilium de qualitatibus gradibus ineptias¹²²⁾, et AVERRHŒS qui arithmetica progressionem insanire maluit¹²³⁾. Unus RHAZES de sensuum fide in iudicandis medicaminum viribus dubitavit¹²⁴⁾, Arabum vero Galenus, AVICENNA, hac in re accuratissimam Graeci antecessoris habuit fidem¹²⁵⁾. Commodam quodammodo arti nostrae mutationem a solo ex Arabis MESUE passa est facultates rerum medicas investigandi ratio, qui cum cognosci doceret medicamentorum vires auxilio tactus, et odoris, et saporis¹²⁶⁾, et coloris (cui tamen non magnam tribuit fidem [fol. 9. p. alt.]) et ex temporis atque loci atque vicinitatis unius medicinae ad alteras consideratione (fol. 10, 11), ita observata non ad quatuor illas rerum qualitates retulit, sed ad iudicium solummodo de medicinarum aut „bonitate“ aut „malignitate“ ferendum.

Resuscitata occidentalium populorum medicina ad praeparandam artem nostram signatoriam multum contulit astrologiae cum salutari scientia nexus, quo universi mundi hominisque affinis natura, quam philosophi inde ab MILESII THALETIS de anima mundi doctrina¹²⁷⁾, divinarunt, a medicis coepit agnosci, et diligentior earum observatio et consecutio facultatum medicinalium, quae secundum Galenum ex tota substantia proficiscuntur. Illa mundi hominisque harmonia imprimis a GILBERTO, Britanno, explicata est, de his virtutibus „occultis“ i. e. ex consideratione quatuor illarum qualitatuum non patentibus, cum aliis PETRUS AB ABANO plenius disseruit, tamenetsi in eo sequatur Galenum, ut eas cognosci non nisi experientia posse, agere vero dicat ex similitudine sive „homogeneitate“¹²⁸⁾.

122) JAC. EBN IZHAC ALKHENDI de medicinarum compositarum gradibus, in MESUE opp. omnib. ed. MARINI. Venet. 1562. fol. vid. VOIGTEL *Arzneimittellehre, herausgegeben von KUEHN, Band 1.* p. 87.

123) Vid. BURDACH *Arzneimittellehre, 2te Ausg. Leipzig. 1817.* Bd. 1. p. 91.

124) Ibid.

125) SPRENGEL *pragm. Gesch. 2te Aufl. Bd. 2. p. 420.*

126) MESUE cum expositione Mondini super canones universales etc. Venet. 1508. fol. 5 sq.

127) PLUTARCHI *conviv. septem sapient. ed. Beck p. 163. Diog. Laert. I, 27.*

128) Conciliator controversia-

HENR. CORN. AGRIPPA decimo quinto primi sui de occulta philosophia libri capite ¹²⁹), quomodo debeamus investigare et experiri virtutes rerum per viam ductam ex similitudine ita explicuit, ut doceret rerum virtutes occultas „non ab elementalī natura sed coelitus insitas“ a nobis non nisi experientia et conjectura posse indagari, illud vero imprimis considerare juberet, quod una quaeque res moveat et convertat ad id quod sui simile sit inclinetque ad se ipsam omni ejusdem potentia, quare quidquid diu steterit cum sale fiat sal, cibique ab animantibus devorati non in herbam sed in carnem „sensibilem“ transmutentur. Quibus igitur rebus insit alicujus virtutis vel qualitatis excessus, ut calor, frigus, audacia, timor, tristitia, iracundia, amor, odium vel aliud quiddam ejusmodi, easdem ad talem qualitatem et virtutem quam maxime movere atque provocare, unde natus sit medicorum usus, cerebrum animalium ad hominis cerebrum firmandum, pulmones ad pulmonem etc. praebentium, quare sterilitatem efficiant animalia sterilia, amorem ad rem veneream proclivia, vigiliam vigilantia, vitam longam longaeva (p. 34—36). Omnia tamen in regno animali exempla consistunt maximo non formae sed virtutum habito respectu.

Ita omnem Graecorum et qui eos secuti sunt medicinam ad quaerendam veram atque exultam signaturae doctrinam frustra perscrutati, quum non nisi velut semina quaedam artis signatae invenerimus, jam in Aegyptiorum antiquissimam scientiam similiter inquiramus, cujus universa indoles atque ingenium rei nostrae magis videtur convenire. Quid? Aegyptiis signaturae constitutio apertis atque distinctis verbis adscribitur a pluribus ejusdem fautoribus ¹³⁰), in quibus prae ceteris nominandus est KIRCHERUS ¹³¹), qui Aegyptios in cognitionem virtutum medicarum, singulis rebus a natura insitarum, ex similitudine plantarum et rerum ad humani corporis membra pervenisse, imo propriam inde formasse disciplinam contendit ¹³²). Quod quam vere statuerit, jam

rum quae inter philosophos et medicos versantur PETR. ABANO autor. Venet. 1565. fol. 107—109.

129) HENR. CORN. AGRIPPAE A NETTESHEYM de occulta philosophia libr. III. Lugd. 1550.

130) Legatur hac de re Jo. HENR. DE HEUCHER Opera ed.

CHRIST. FREDER. HARNEL. Lips. 1745. p. 782.

131) ATHANASII KIRCHERI Oedipi Aegypt. Tom. II. pars altera. Rom. 1653. Class. IX. p. 345—386 de medicina Aegypt. agit.

132) Loc. citato cap. 2. pag. 350—353.

inde potest aliquo modo concludi, quod **ELLUCHASENIS** libri de ritibus Aegyptiorum locum affert, quasi hanc sententiam eximie probantem, qui id solum affirmat: philosophos Aegyptios catenam illam magnam inquisivisse, qua mundus superior inferiori colligetur, atque cognovisse formas omnes et similitudines rerum inferiorum (i. e. terrestrium) jungi formis et similitudinibus superiorum (i. e. coelestium sive astrorum). Magis etiam dubia nostri hac in re fides fit eo, quod **PROSP. ALPINI** librum de medicina Aegyptiorum allegat (p. 356) quo idem narretur ¹³³), cujus tamen ¹³⁴), neque non ejusdem auctoris de plantis Aegypti libri ¹³⁵), itemque **VESLINGII** additamenti ¹³⁶) diligenti lectione et relectione ne minimum, quidem quod ad rem nostram pertineat, invenimus. Omnino ait Aegyptiorum virtutes rerum salutes investigandi triplicem fuisse methodum, priorem (p. 351) per qualitates manifestas, quas quinque sensuum ministerio cognitae ad quatuor elementares, quae dicuntur, condiciones referrent confirmante **ABENSINA** (Avicenna) (lib. II. can. 3.); alteram per signa seu characteres singulis rebus a natura sagaci impressos. Signaturae enim scientia non a recentioribus inventum sed ex Orientalium monumentis resuscitatam esse, ut pulchre doceat **Agrippa** ¹³⁷), eidemque subscribat **Quercetanus**. Quin etiam non dubitat **Kircherus** omnes artis signatae summe excultae divitias enumerare quasi ab antiquorum Aegyptiorum medicis tritissimas ¹³⁸). Majore veritatis specie tertia

133) Dici quidem possit orationis suae solummodo appendicem de singularibus singularium morborum apud Aegypt. medicis citato Alpino probari voluisse **Kircherum**, hac ratione satis scilicet callide ita verba sunt posita, ut toti sententiae inde enasci videatur firmatio.

134) **PROSPER ALPINUS** de medicina Aegypt. libr. IV. Venet. 1591.

135) **PROSP. ALPINUS** de plantis Aegypt. Venet. 1592.

136) **Jo. VESLINGII MINDANI** de plantis Aegypt. observationes et notae ad **PR. ALPINUM**. Patavii 1638. 4.

137) Ejusmodi demonstratio-

nem in **Agrippae** scriptis invenire non potui, neque fore ut quisquam inveniat puto, cum ipsius **Agrippae** temporibus, ut infra videbimus, talis signaturae doctrina, qualis a **Kirchero** accipitur, nondum esset excultae.

138) p. 353—356. — Facilis est intellectu ita agendi ratio ei, qui illorum, quibus vixit **Kircherus**, temporum mores respicit ac consuetudinem, neque ignorat quantum ideo potissimum exultarint **Galenistae**, quod **Veterum** auctoritas deesset novae doctrinae, memor simul quantum studii et laboris in eo posuerint **Chymici**, ut **Hermetem** illum **Trismegistum** primum designarent di-

Aegyptiis adscribitur medicaminum facultates explorandi via, in nexu ac similitudine plantarum cum astris posita, quod et ABENRAHMONIS loco in opere de doctrina sapientum Aegypti exhibito, et MARSILII FICINI¹³⁹⁾ et JAMBlichI¹⁴⁰⁾ probatur testimoniis. — Cum igitur et Prosper Alpinus et Veslingius laudatissimi diligentissimique medicinae aegyptiacae scriptores nullam, ut dictum est, ejusmodi artis faciant mentionem, neque magis qui recentiore tempore in antiquissimam Aegyptiorum medicinam singulari commentatione accurate disquisivit, FRED. BOERNERUS¹⁴¹⁾, signaturae apud Aegyptios factitatae afferat vestigia, nisi commenticia atque ficta, mihi quidem valde dubia videtur de Aegyptiaco artis signatoriae ortu sententia.

Multo minus in Judaeorum medicina signaturae detegere initia mihi contigit et BOERNERI commentarium de Ebraeorum medicina diligenter conscriptum¹⁴²⁾, et sanctos antiqui foederis libros perlustranti, nisi id observantiae formarum similitudinis habitae consideres specimen, quod Moses a serpentibus percussos sanari jusserit serpentis aspectu aere confecti¹⁴³⁾. Gaudeat fortasse aliqua veritatis specie talis opinio, nisi serpens apud plurimas illorum temporum gentes ipsius valetudinis existimata fuerit imago!

Nec vero solum antiquissimis illis, AGRIPPAE adhuc, proximi Paracelsi antecessoris, temporibus signaturae doctrina ullum habuit locum: qui senex de omni scientia arteque desperans, cum de omnibus loquatur¹⁴⁴⁾ disciplinis naturalibus et magicis, nostrae nullam facit mentionem, nec minus PARACELsus tum ullis ante ipsum¹⁴⁵⁾, tum proxime quidem praeteriti tem-

sciplinae ipsorum autorem. Simili ratione, quae auctoritatem tribuant signaturae, nomina a Porta afferuntur fabulosa: Hermetis, Orphei, Zoroastri, Osthani, Damagerontis, Harpocratonis et Kirannidis. Mag. natur. lib. I. c. 11. p. 25.

139) MARSIL. FICINUS de vita coelitus comparanda lib. III. 12. Lugduni 1595.

140) JAMBlichUS de mysteriis Aegyptiorum etc. Venetiis apud Aldos. 1497. Lugd. 1577.

141) Antiquitates medicinae Aegypt. praes. FRED. BOERNER

resp. PAUL. FABRI. Wittebergae 1756.

142) De statu medicinae apud vet. Ebraeos. Praes. FRED. BOERNER def. SAM. AUG. WAGNER. Wittebergae 1755.

143) Num. c. 21. Vs. 6—16.

144) De incertitudine et vanitate scientiarum atque artium declamatio. In HENR. CORN. AGRIPPAB operum part. poster. Lugduni (deficiente anni numero).

145) Libr. supr. cit. part. VII. p. 163: „Gott hat geben der Natur ihr Physionomey, ihr Chiro-mancey, ihr Geometry, ihr Signa-

poris medicis ¹⁴⁶⁾ notam fuisse negat ejusmodi scientiam. Temerarium vero quendam atque vulgarem similibus formarum in eligendis remediis respectum, cum nunquam fere non, tum illis quoque temporibus valuisse ex ejusdem apparet Paracelsi verbis:

„Aber ihr Arzte begehret die Zeichen der Kräuter und ihr Form doch nicht anders zu urtheilen denn wie ein Bauer, und wisset weniger denn die Bauren. Denn was soll ich sagen, ich habe über 80 Bauren gekennet, so allein die Kräuter von wegen ihrer Form und Anatomia den Krankheiten vergleicht haben, und für meinen Augen damit wunderbarlich und wohl geholfen“ ¹⁴⁷⁾.

C A P U T II.

Jacta doctrinae fundamenta.

Accedente saeculo imprimis memorabili, quo vincula animos graviter onerantia generi humano nimis molesta esse coepere atque quassari, medicae etiam scientiae vir ille prodiit magnis vitiis majoribus virtutibus excellens, quam qui ex longinqua liberaret servitute non sensim pedentimque vitiosa corrigendo, laesa reparando, nova superinstruendo, sed uno ingenii fortissimi ictu omnia ab imis fundamentis evertendo atque instaurando. Opera vero inaudita inaudito fieri solent modo, ac stulte postulet qui rerum insolentium praecordia quotidiano audire cupiat sermone, oblitus jam antiquissimis temporibus divinam voluntatem per tonitru patefactum esse hominibus trepidis. Non minus igitur errant, qui angusto inclusi vulgaris mentis circulo, maximi universae medicinae instauratoris gloriae propter raram obtreant ejus doctrinam, quae trivialem ipsorum captum longe superat, quam qui Charybdi evitata

tum; aus denen nun soll der Arzt wohl wissen, was sein Amt ist, und was in selbigem ist. Aber das muß ich bekennen, daß ich bis auf die Stund von den alten Arzten nie gehört noch gelesen hab, daß sie einigerlei nach Ordnung der Arznei daher in die Arznei kommen wä-

ren. Denn ihr keiner kann der Dingen nichts.“

146) Ibid. p. 131: „Dieselbig Signatur ist gar aus dem Brauch kommen, und ihr gar vergessen worden, aus dem denn groß Irrsal folget.“

147) Part. III, 57. 58.

in Scyllam incidentes vatis obscure canentis loquelam vulgari imitantur atque quotidiana literarum tractatione.

Idem qui juventutem restituit medicinae senili fatuitate laboranti PHIL. AUR. THEOPHR. BOMBAST. PARACELSUS AB HOHENHEIM nostrae etiam doctrinae prima jecit fundamenta argumentis quibusdam firmata, nec vero recte disposita oratione, sed praerupta, ut scribere solebat, et confragosa, quapropter per omnia fere ejus scripta dispersa sunt ad rem nostram pertinentia. Neque autem quae ita variorum temporum variis libris proferuntur, singulaque legenti satis temere dici videntur, nec ullo rationis fundamento firmata, communi carent vinculo interno, quo discerptorum membrorum fragmenta jungantur, atque vacillantia sustententur. Liceat igitur mihi signaturae historiam scripturo ex universa placitorum Paracelsicorum farragine ea afferre, quae ad auctoris de rerum signatura sententiam firmandam nonnihil valent, eoque exponere ordine, quo maxime alterum ex altero mihi videtur consequi.

Id potissimum Paracelso est proprium, maximique in omni ejusdem doctrina judicanda momenti, quod, quam Plato ¹⁾ jam divinarat, universi mundi cum homine similitudinem atque legum utrumque dirigentium harmoniam accuratius cognovit atque demonstravit ²⁾. Omnem etenim rerum in mundo obviarum varietatem ex immensa et inordinata quadam materia primam originem habuisse finxit, quae omnia elementa ³⁾, omniaque omnino corpora „potentia, non actu“ ab initio continens, absque ulla compositione sola pepererit sepa-

1) Tim. pag. 40, a. pag. 41, b. c.

2) Vid. Part. I. p. 30. 38. 41. p. 117. 220. P. II. p. 24. 25. 27. P. V. p. 58. 59. Appendix ad P. V. p. 199. 202. 211. 219. P. VII. p. 154. P. VIII. p. 1—5 sq. P. IX. p. 420. P. X. p. 28. 29. 31—35. 454 et al.

3) Quid significet Paracelsus verbo elementi sequens doceat locus: „Es ist ein blinder Verstand, das das Nafs für ein Element erkennt wird; das Wasser: oder das Brennend für ein Element Feuer: denn nit nach

dem Corpus, oder aus der Substanz, oder nach der Geschicklichkeit soll das Element verstanden werden. Denn was da sichtbar ist, dasselb ist allein die Einfassung, und das Element ist ein Geist, und lebt gleich in den Dingen, wie ein Seel im Leib: d. i. prima materia der Elementen unsichtbar und ungreiflich, und doch in allen. Denn prima materia elementorum ist nichts anderes, denn das Leben, so da ist in den Geschöpfen“ u. s. w. P. VIII. p. 21.

ratione ⁴). Materiam istam primitivam, tamquam Chaos veterum poetarum descriptam, „magnum“ sive „increatum“ vocat „mysterium“, res autem variformes inde evolutas universali „Divertalli“ designat nomine ⁵). Ita formato „majore mundo“ i. e. rerum universitate uno excepto homine, summus rerum creator omnium „elementorum“ omniumque „siderum“ (i. e. rerum corpore instructarum illoque carentium) intimam eduxit naturam, massam inde componens („limum terrae“) e qua summum formaret opus, hominem, qui nullam majoris mundi non continens partem „microcosmus“ recte nominetur ⁶).

Quibus concessis de simili majoris mundi et hominis natura existimat dubitari non posse ⁷), nec vero utriusque intima facultate ac indole finitur similitudo, nunquam enim verae rei cujusdam naturae externa non respondet forma et species, quod auctor multis comprobare studet ⁸). Nititurque in eadem formarum re-

4) P. VIII. p. 5 sq.

5) P. VIII. p. 1—5. 23.

6) P. VII. p. 154. P. X. p. 23. 29. p. 31. 32: „*Er (Gott) hat ausgezogen das Wesen von den vier Elementen zusammen in ein Stück, hat auch ausgezogen von dem Gestirn das Wesen der Weisheit, der Kunst und Vernunft, und also beide Wesen der Elementen und des Gestirns zusammengestellt in ein massam, welche massam die Geschrift limum terrae nennt. Also sind zwei corpora worden aus der massa, das siderisch corpus und das elementisch.*“

7) Imo tantam in hominis et macrocosmi congruentia Paracelsus ponit fidem, ut illius naturam melius hujus quam ipsius observatione intelligi contendit: „*Bedenke, wie groß und edel der Mensch geschaffen sei und wie so groß sein Anatomei begriffen wird, und dass nicht möglich ist, sein Anatomei des Leibes und der Tugenden zu speculiren in keinem Kopf noch Vernunft: sondern von dem Aeußeren muss der Grund gehen, alsdann so ist sichtbar und offen-*

bar, was in ihm ist.“ P. II. p. 140. cf. p. 204—206 ubi praeterea de morborum cognitione idem affirmatur.

8) P. I. p. 88. P. IV. p. 259. p. 264. 314. 360. P. V. p. 178. P. VII. p. 131. P. IX. p. 383. P. X. p. 77. 152 sq. p. 158. 426. 470. 471. — P. IV. p. 264: „*Ein Becher, daraus man trinken soll, muss hohl seyn, also muss er in sein Amt geschmiedet werden. Ein Gilgen muss in ein Gilgen geschmiedet werden, sonst ist sein arcanum nicht da. Denn wie ein Mensch geschmiedet wird in sein Form von wegen seiner Seel, und also und nit anders muss er sein: also in allen Dingen. Denn der Corpus und Amt ist ein Ding*“ u. s. w. P. X. p. 152: „*Alles, was die Natur gebiert, das formirt sie nach dem Wesen der Tugend, so in ihm ist.*“ — „*Als die Tugend zeigt an die Form, Figur, Corpus und Substanz, also zeigen auch an dieselbigen das Wesen in selbigen. Denn die Tugend und die Form sind in einem Grade gleichgestellt, dass durch die Tugend die Form verstanden und durch die Form*

rumque congruentia ars quaedam sive disciplina cui formae, et omnino omnia quae sensibus percipiuntur, „signata“ dicuntur e quibus internae conjiciantur virtutes et facultates, ipsa „artis“ seu „scientiae signatae“ nomine insignita. Valet haec doctrina ubicumque interna rerum veritas externa manifestatur specie sensibusque obfertur ⁹⁾, nec tantum in naturae sed in humanis quoque operibus habet locum, quocirca omnino tres a Paracelso designantur „signatores“ ¹⁰⁾ sive signorum fontes: *homo*, qui singulari vestium cultu, sigillorum impressione, titulis et inscriptione, multisque aliis modis veram rerum quarumlibet potestatem significat, *astra* (i. e. generalis mundi anima) cunctas res naturales pro varia earum facultate certis conformans speciebus, et *Archeus* ¹¹⁾, qui v. gr. secundum aetatis progressum cervini cornu auget ramos, vaccini circulos pro vitulorum partorum numero, tempestatis mutationem mutatis praenuntiat nubium figuris ¹²⁾. Eodem modo ipsa quarumcunque rerum, sensibus oblatarum, cognitio „anatomiae“ universali a Paracelso appellatur nomine ¹³⁾, quo non modo eandem quam nos amplectitur disciplinam, sed chemiae etiam, animalium historiae, rei herbariae, mineralogiae, astronomiae, geographiae, nosologiae, universae breviter physicae

die Tugend.“ — P. X. p. 471: „Was schwarz färben soll, macht die Natur schwarz, das blau, blau, das grün, grün, was brennen soll, das macht sie zu Nesseln, was fegen, das macht sie zu Schaaftheu, was glätten soll und schleifen zu Schmirgel, und giebt einem jedlichen Dinge sein Form, dadurch es mag erfunden werden, wozu es die Natur beschaffen hat.“

9) P. II. p. 321. P. X. p. 152. 158 et al.

10) Nec tamen semper Paracelsus eum hoc insignit nomine, qui signa rebus imprimit, sed, ut posteriorum signaturae scriptorum, plurimi eum quoque qui signa impressa interpretatur, cf. P. X. p. 153.

11) Quo verbo Paracelsum illam significasse conjecturo vim formatricem, quae neque ad ori-

ginem neque ad universalem pro generis indole degendam vitae rationem quid valet, sed rerum tantummodo singularium singularem evolutionem gubernat (*Geist des Individuums*). Cf. Part. VIII. p. 206.

12) P. VI. p. 329—362.

13) P. I. p. 88: „Alle Ding in dem Bild stehen; das ist: alle Ding sind gebildet; in dieser Bildniß liegt die Anatomie.“ P. IV. p. 314: „Die Anatomie ist eine Kunst, die euch lernt erkennen die Form eines jeglichen Dinges, wie dieselbig zusammengesetzt, gesetzt u. s. w. ist, und wie sie in allen Dingen stand, der Mensch, das Holz und der Baum. Das ist nun von der Form geredet, die der Arzt wissen soll; denn die Anatomie der Form giebt Erkenntniß der Eigenschaften derselbigen Dinge.“

partes quanto in explorandis versantur rerum conditionibus sensibus obviis. Apparet ejusmodi disciplinam arcissimis cum signata arte conjungi vinculis, (cum enim illa in rebus versetur sensibus percipiendis, haec in eadem perceptione nititur, siquidem qua ipsa et interna rerum conditiones statim compareant), neque vix ab altera alteram posse separari, quare alternis vicibus et anatomiae et artis signatae nominibus eandem Paracelsus non raro significat ¹⁴⁾ scientiam, „*äufsere Philosophie*“ insuper ab eo nominatam ¹⁵⁾. Artis hujus tam late patentis fieri non potest, quin variae sint partes pro modorum, quibus verae rerum conditiones externa manifestantur specie, diversitate diversae, et profecto quatuor distinguuntur artis signatae genera, cujus divisionis rationem ex unius hominis natura Paracelsus depromit, quod non mirabitur, quicumque eorum, quae supra dicta, sunt meminerit. Sunt autem illa genera: „*chiromantia*“ ex lineis quibuscunque, venis rugisque obscura divinans, „*physiognomia*“ faciem respiciens, „*substantina*“ ex universa structura, habitu et proportione, quartum denique genus ex moribus et usu judicium depromens ¹⁶⁾. Neque vero, ut facere solebat, hac in divisione sibi constans est Paracelsus, aliis locis tres modo exhibens signaturae species *): *chiromantiam*, *physiognomiam* et *habitus* sive *proportionem*, ubi quarta *physiognomiae* inseritur ¹⁷⁾. Itaque etiam minus mirandum est, partis, *chiromantiae* imprimis et *physiognomiae*, nomen non raro usurpari de tota scientia indicanda ¹⁸⁾. — Cum vero ejusmodi artem, veram rerum naturam extimae faciei ap-

14) Cum saepissime ejusdem nominis in diversis rebus, diversisque in iisdem multivarius apud Paracelsus est usus, tum anatomiae potissimum verbo eximie abutitur, ita ut rerum etiam affinitatem („*concordantiam*“) quam investigare in gravissimis artis signatae est partibus, eodem appellat „*anatomiae*“ nomine, pro invento sumens inventricem: „*Mir ist all Fürhalten allein das, dafs wir der Anatomie verständig sein, das ist, der Concordanz, was zusammengehört, zusammengenommen wird, das auch conjunctio heifst ar-*

tis: aus Ursachen, was die Natur selbst conjugirt ist naturalis: was aber der Mensch zusammen musz fügen, dasselbig ist conjunctio artis.“ P. IV. p. 305.

15) P. II. p. 107: „*Also lernt es die äufsere Philosophie, die der innern allen Namen, Art, Eigenschaft und Zeichen giebt, lernt und fürhält.*“

16) P. X. p. 77. 78. 155. 156. 426. Cf. *conspectum tabularem* p. 68 exhibitum.

17) P. X. p. 466.

*) P. X. p. 463. 400 — 402.

18) P. IV. p. 309. 310. 316. P. VII. p. 131. P. IX. p. 382. 383.

paritione cognoscendi, necesse est in omni humani negotii atque commercii genere magnam vim exserere, neque exiguam afferre utilitatem, quod Paracelsus fabricorum de ligni bonitate, metallicorum de aeris venarum indole ejus ope judicantium, aliorumque exemplis confirmare studet ¹⁹⁾, tum medicis imprimis maxima inde nascitur utilitas, et alias et praecipue in reperiendis morborum remediis. Quae in re tanti aestimata est ars signata, ut neglectis aliis, hic ejus in medicaminum inventionem usus eminenti quadam ratione artis signatae sive signaturae nomine appellaretur ²⁰⁾.

Jam si exponere velimus, quibus praeterea argumentis artis signatae in homines affectibus sanandis utilitas, a Paracelso firmetur, redire, oportet, orationem, unde progressa est. Sequebatur autem ex Paracelsi de anthropogenesi hominisque natura microcosmica sententia, non re modo sed specie etiam externa majorem mundum reddi minore ²¹⁾, addamus non partum esse solummodo, servari etiam majore mundo hominem, ita ut omnino parenti mundus, homo infanti ²²⁾, seu potius foetui utero materno incluso ²³⁾ ex nostri opinione sint comparandi. Nutritur vero illa sua parente ea ratione, ut partes maternae partibus ejusdem re specieque illis similibus praebeant victum ²⁴⁾. Amplius: non alimenta modo sanis, medi-

19) P. IX. p. 382. 383. — Cf. P. VI. p. 341: „Nun ist Chiro-mantie ein Kunst, die nit allein in sich hält die Händ der Menschen zu sehen und an derselben Linien, Aesten und Runzeln den Menschen erkennen: sondern hält in sich alle Kräuter, alles Holz, alle Quarz- und Kifslingstein, das Erdreich und alle Wasserflüßs, und alles das, was Linien, Adern, Runzeln u. dgl. hat.“

20) P. II. p. 236. P. III. p. 40. IV. 309—312. VII. 131. IX. 383. Praesertim autem post Paracelsum de signatura scriptores, quorum multi ne novisse quidem videntur latiore hujus verbi notionem.

21) Append. ad P. V. p. 211. 199. Singulae v. gr. planetae singulis humani corporis visceribus comparantur. P. I. p. 38 et 41.

22) Append. ad P. V. p. 211. 219. P. IX. p. 420. P. I. p. 117. P. II. p. 26.

23) P. V. p. 58 et 59.

24) Append. ad P. V. p. 202: „Alles das, so wir essen, nimmt seinen Ursprung vom Außern, darum die außern müssen die innern nähren. Zu gleicher Weis, wie die Leber mus Führung haben, das nimmt sie aus der Lebern der Erden: das Herz mus seinen Aufenthalt haben, das nimmt es aus dem Herzen der Erden: also speiset die irdische Gall die leibliche Gall: das irdische Hirn das leibliche Hirn: und also Milz und Milz, Nieren und Nieren, Blut und Blut.“ cf. X. p. 455. — p. 33. IV. 315: „Also, warum stärkén gleiche Glied sein gleiches Glied? Darum, das die Anatomei da ist.“

camenta porrigunt aegris similia majoris mundi membra, non enim ut Galeni sectatores delirant, contraria contrariis, similia sanantur similibus²⁵). Fieri autem hanc medelam sola medicaminum similitudine indicatorum vi propria, qua sui similia tangant, penitusque esse rejicienda quae medici veteres de „dirigentibus, directoriis sive ducentibus“ sint fabulati²⁶): ita ut qui contrariis contraria adhibeat remedia medicus patri comparetur, qui infanti, panem expostulanti, angues porrigit²⁷), qua ratione universam rerum naturam pharmacopolium licet appellare²⁸), e quo medicus propria variis hominis partibus medicamina artis ope signatae eligit. Nec vero tantum partium humanarum sanarum cum rebus externis comparatione de harum viribus salutaribus certior fit medicus, sed etiam morborum. Nam sicut ipsa femina mundum refert singularem, tertium quidem, ex primi viri („medii mundi“) costa ortum²⁹), quo efficitur ut omnino diversa a virorum feminarum sint et morbi et morborum remedia³⁰), ita morborum etiam species res sunt

I. 117. — p. 97: „Ein jeglicher Bifs, den wir essen, derselbige hat in ihm all unsere Glieder, was der ganze Mensch begreift und in ihm verfasst.“

25) P. IV. p. 314. 315. P. I. p. 220. P. II. p. 39. 120. 233. V. 176.

26) P. II. p. 234. 235: „Denn nicht also soll die Arznei gehen, sondern sie führet sich selbst durch Kraft ihrer Bildnufs.“ — „Darum nit ducentia, sondern formae, die sollen Leiter werden, und durch das Dirigiren, das die Bildnufs von ihr selbst giebt, soll das ducens sein.“

27) P. I. p. 89: „Es wär eine wilde Ordnung, so wir wollten im Widerspiel unser Heil suchen, gleich als ein Kind, das um Brod schriet gegen seinen Vater, der giebt ihm nit Schlangen für Brod“ — „das ist, es wär ein übele Arznei, bitter Wurzeln für Zucker zu geben“ u. s. w.

28) P. II. p. 220.

29) P. I. p. 193.

30) Eod. loco: „Ein Kraut ist

frauisch, eins ist männisch.“ — p. 199: „Nun siehe die Wurzeln der Manneskrankheiten, und be- siehe die Wurzeln der Frauenkrankheiten, und sitze darüber und rechne es aus, wie du bestehen wirst, mit deiner physica und causis und indiciis. Allein es sei denn, das du den Frauen gebest ihr sondere Wurzeln, den Mannen ihre sondere, und wissest die Arznei, das sie gespalten ist, den Mannen ein Theil, den Frauen den andern Theil, sonst wirst du kein Arzt sein, sondern ein Verföhler: darzu du nit viel Künst darfest mit Lügen und Tellerschlecken, wie denn euer aller Art ist und Studiren auf den hoken Schulen.“ — Sed „hermaphroditica“ etiam admittuntur remedia, quale v. gr. Plantago. vid. p. 212. Qui sentiunt feminas iisdem laborare morbis quibus viri, adjectis nonnullis propriis, copiose refutantur p. 196 sq., nam „Frauenhirn nicht Manneshirn, Frauenherz nicht Mannesherz“ u. s. w.

singulares, propriam degentes vitam, et tamquam microcosmi³¹⁾, qui pro variis eorum naturis varias exhibent imagines³²⁾, quarum cum rebus extraneis collatione, apta inveniantur illorum antidota³³⁾.

Triplex itaque boni medici est munus: et pro membrorum varietate, et pro sexus differentia, et pro morborum singularitate³⁴⁾ convenientissima aegrotis indagare medicamina, quae omnia cum praestet ars signatoria, summis a Paracelso effertur laudibus³⁵⁾.

Quid spectet et quomodo in universum sit instituendum signatoris officium, ex ipsius rei natura satis apparet, morbi etenim rei que externae „concordantia“ unius alteriusque accurata intuitione ac sequente com-

31) IV. 306, seq. 302.

32) I. 88: „Denn also sind auch Anatomien der Krankheiten: d. i. hydrops ist gebildet wie ein Bildnuß sein soll. Darum ist nit genug, die Anatomie des Menschen zu wissen, sondern auch der Wassersucht, als wär sie gemalet oder geschnitzelt vor ihm in ein Form: also all andere Krankheiten.“

33) Ibid. et p. 89 etc.

34) Haec ex morborum diversa natura indicatio saepe cum illa ex membrorum varietate congruat necesse est, cum etsi totus homo morbus, toto homine expressus, videatur Paracelso, singulas tamen partes praeceteris tangi statuatur singulis morbis. Vid. IV. 307.

35) II. 295. p. 107: „Aufserhalb dieser (Signatur) wird kein Arzt geboren, allein Betrüger und Irrer, Phantasten und Eselsweisheit.“ p. 141: „All Arznei ist falsch und erlogen, die nicht gewaltig ihr Erkenntnuß nimmt aus dem gesagten Grund: und ist nichts weiter in ihr, denn ein Luder, Edel und Unedel zu besch—n, eine ausklauble Büberei.“ VII. 131: „Die Natur zeichnet ein jedliches Gewächs, so von ihr ausgeht, zu dem, dazu es gut ist: darum, wenn man erfahren will, was die Natur gezeichnet hat, so soll man's an

den Zeichen erkennen, was Tugend in selbiger sind. Wann das soll ein jeglicher Arzt wissen, dasß alle Kräfte, so in den natürlichen Dingen sind, durch die Zeichen erkannt werden: daraus dann folgt, dasß die Physionomie und Chiromancey der natürlichen Dingen zum höchsten sollten durch ein jedlichen Arzt verstanden werden. Wo das nit ist, da wird kein Secret in der Natur erfunden mit gewisser Prob und rechtem Wesen.“ p. 132: „Denn ihr möchten sprechen, wer kann in das Kraut sehen, was in ihm ist? Nein, allein sieh sein Zeichen an, so siehst du alles, was in ihm ist.“ p. 133: „Denn signatura ist scientia durch die all verborgen Ding' gefunden werden: und ohn die Kunst geschieht nichts Gründlichs, es hat alles ein Lock.“ P. X. p. 471: „Durch das Signatum haben alle gelchrte Leut gefunden, was in den Kräutern gesein ist, Steinen, Saamen: da aber das Signatum aus dem Sinn kommen ist, und das Schwätzwerk an die Statt, da ward es umsonst, da verdarb die Philosophie und Medicin.“ p. 153: „Wer nicht aus der Signatur die Kraft der Kräuter schreibet, der weiß nit, was er schreibet. Er schreibet gleich als ein Blinder, der weiß nit, was er schreibet.“

paratione est investiganda³⁶⁾; singularem praeterea Paracelsus nobis commendat ex notis, integras corporis humani partes similitudine referentibus, medicaminibus, ignota, morbo deformatorem partium „signaturam ferentia“, remedia investigandi rationem, oculorum exemplo rem illustratus: „So du nun hast die Augen simplicia, so siehe auf sie, das du in ihnen findest den speciem morbi in seiner Anatomie. Als ein Exempel: die Krankheiten nehmen sich aus der Transmutation: nun transmutir dieselbigen Augen Anatomien, und in derselbigen Transmutation so sich die Anatomie des gustus und der Bildniss: weniger aber der Bildniss, mehr des gustus: und so du hast ein Concordanz deren Dingen zusammen, welcher Blinder wollt Brod heischen von Gott, dem für Brod Gift geben würd“ (P. I. p. 90). Ceteroquin fusioem doctrinae suae expositionem non suscepit autor, satis, ut solebat, habens antiquum, ruinosumque aedificium evertisse adque instaurationem aequalium animos concitasse. — Attamen si omnia, quae disiectis locis, variisque causis motus, brevius vel fusius de re nostra a Paracelso sunt disputata, colligimus, collecta pro diversa ipsorum indole disponimus, aliqua inde nascitur regularum in arte signatoria adhibendarum series, qua sequentium scriptorum accuratiores expositiones praeparantur. Ita non modo in medicaminum ex plantarum regno depromendarum, sed in animalium quoque³⁷⁾ atque lapidum³⁸⁾ ad usum medicum electione maxima signatu-

36) P. IV. p. 307: „Drumb so sie nun ein Mensch ist (die Krankheit) und aber unsichtbar: so muß ihr Physionomey genommen werden dermassen uns sie es giebt, und nachfolgend mit der Arznei vergleicht, also ein Physionomey zu beiden Seiten standen.“ p. 314: „So ist weiter von nöthen, das ihr Wissen die Anatomie in solcher Gestalt der Kräuter und aller Gewächsen: auf das ihr da zusammen die gleiche Anatomie der Krankheit in ein Ordnung bringet: diese Gleichnuß giebt Verstand der Heilung, worin ihr handeln sollen und bleiben und fürfahren.“ P. I. p. 88: „So er (der Arzt) ihr Anatomiey (der Rose)

weist, so soll er darnach wissen Anatomias morborum, so findt er da ein Concordanz, die sich zusammen vergleichen und gehören. Aus dieser Concordanz dieser zweien Anatomien wachst der Arzt und ohne die ist er nichts.“

37) P. III. p. 39, rana et la-
certa. P. VII. p. 230 cancer.

38) P. II. p. 327: „Die scientia signata solches bewährt und anzeigt durch die Signatur so in den gemeldten Steinen liegt.“ P. IX. p. 381: „Was aber eines jeglichen solchen Steines Kraft und Tugend ist, zeigt sein Figur und Bildniss an.“ u. s. w. P. X. p. 471. IV. 316 lapis haematites.

rae tribuitur utilitas, quamquam plurimus plantarum signaturae apud Paracelsum est usus. Imitantur vero herbae aut humani corporis et sanum³⁹⁾ et morbosum⁴⁰⁾ statum, aut animalia⁴¹⁾, aut sidera⁴²⁾, aut res denique inanimatas⁴³⁾. Ad cognoscendas autem illas imitationes omnes fere noster adhibet sensus⁴⁴⁾, maxime atque saepissime figurae⁴⁵⁾ (quo et linearum rugarumque pertinet observatio⁴⁶⁾), similitudinis habito respectu, neque magis raro colorum⁴⁷⁾, quorum singuli singulas ei indicant virtutes⁴⁸⁾, ita ut qui duobus gaudent coloribus flores duplicibus fruuntur viribus, qui plures habent pluribus⁴⁹⁾, atque omnino in morbis colore insignibus, v. gr. ictero sanando, herbae colorantes efficaciores praedicantur aliis, quae non

39) P. IV. p. 315. 316. III. 38. IX. 384. VII. 155. II. 209. 234. VII. 397.

40) IX. 384. III. 40. VII. 155. II. 235. III. 57. 58. IV. 360. 415. 416: „Der gesunden matrix ist nichts geben, sondern wie sie die Krankheit in ein Form bringt und macht, derselbigen Form nach such den Spur.“ VII. 290. IV. 359. 307.

41) IV. 349. II. 234. IX. 384.

42) IV. 360. IX. 384. III. 61. 62.

43) IX. 384.

44) III. 67: „Das sind die gradus: nicht kalt und heifs, trocken und so weiter, sondern Form, Farben, Anatomie, und hernach die 7 Gradus und Gustus salium am Geschmack. Also werdet ihr die gradus müssen für die Hand nehmen.“ IX. 383: „Durch die Kunst chiromantiam, physionomiam und magiam ist möglich, gleich von Stund an dem äusserlichen Ansehen nach eines jeden Krauts und Wurzeln Eigenschaft und Tugend zu erkennen, an seinen signatis, an seiner Gestalt, Form und Farben, und bedarf sonst keiner Probiierung oder langen Erfahrung.“ VII. 133. X. 152: „Als die Tugend zeigt an die Form, Figur, Corpus, und Substanz: also zei-

gen auch an dieselbigen das Wesen im selbigen.“

45) II. 233: „Hat sie ein Form der Füße, steht sie in die Füßs: hat sie ein Form der Händen, so steht sie in die Hände. Also mit dem Kopf, Rücken, Bauch, Herz, Milz, Leber“ u. s. w. — IV. 316. III. 38. IX. 384. VII. 155. IV. 349. II. 209. III. 57. IV. 415. VII. 397. IX. 384.

46) In cujus manu „linea architecta“ invenitur in colicam cadere is dicitur, „drum linea architecta in den Blättern ein Arzenei ist in colica.“ „Linea ancora“ apoplexiam indicat: — „drum so ist auch linea ancora in Acoro ein Arzenei in apoplexia, also fort und fort: denn die Arzenei muß aus der Chiromantia genommen werden. Und so du Recept setzest, und nit physionomia und chiromantia mitlaufen, so verfehlest aller deiner Kunst.“ IV. 312.

47) P. IV. p. 315. 316. III. 40. VII. 155. III. 58.

48) II. 71.

49) III. 67: „Denn ein jedes Kraut so an der Blumen zweierlei Farben hat, hat auch zweierlei Tugend; also auch dreierlei Farben an der Blüth und Blume, da liegen dreierlei Tugenden innen.“

tingunt ⁵⁰). Saporis etiam non parvi habetur consideratio ⁵¹). — Nec vero materiae tantum similitudine, gestuum quoque comparatione fit signatura ⁵²), qua ratione exempli gratia Plantago quotidiana circuitus harmonia affinitatem suam ad solem declarat ⁵³), item ex originis singularitate ⁵⁴) vitaeque decursu ⁵⁵) sumuntur indicia. Quid quod eo usque, a prima corporis sensuum perceptione discedat similitudo, ut et flores morbi signis μεταφορικῶς comparentur, ideoque floribus carentes adversus morbos signis externis destitutos, floribus gaudentes herbae in morbis signatis adhibeantur ⁵⁶), et actiones atque res nonnisi cogitatione sensuve interno percipiendae externis formis redditae ἀλληγορικῶς accipiantur, uti dolores lacerantes serrato foliorum margine, pungentes spinis aculeis-

50) V. 252.

51) I. 89: „Was ist der gustus als ein Theil der Anatomie, der da nichts anders bedeutet, denn zu seinesgleichen zu kommen. Daraus nun folgt: allen Gliedern im Leib Austheilung solches gustus, auf das süß zu seinem süßen komme, bitteres zu seinem bitteren: wie die gradus der Süße, Säure, Bittere, Herbe einhalten. Wer ist der, der da suchen wollt' der Lebern ihr Arznei in der Gentiana, Agarico, Coloquint? Kein Arzt: wer der Gallen ihr Arznei in Manna, Melle, Zuccaro, Polypodio? Kein Arzt: gleich gehört zu seinem Gleichen.“ I. 90.

52) III. 39: „Nun stehet die Kunst der Signatur nicht allein in Bild und Form, sondern auch in den Geberden zu erkennen.“

53) IX. 384: „Also hat auch Wegwart die Wurzel ein besondere angeborne Influenz von der Sonnen, das sieht man an ihren Blumen, die sich allzeit gegen der Sonnen neigen, als wollten sie sich dankbar erzeugen“ u. s. w.

54) Ea, quae originis non formae aequalitate morbo affinia sunt remedia „appropriata“ a Paracelso vocantur, eorumque usus post specifica commenda-

tur, dum praestantissimus „specificorum appropriatorum“, i. e. remediorum et forma et origine similium dicitur usus. IV. 30. Apparet omnino diversam hanc Paracelsicam verbi notionem esse a posteriorum usu, qui voces „specificata“ et „appropriata“ promiscue adhiberent ad significanda medicamina certas corporis partes praecipua efficacia tangentia. Vid. HECKER therap. gener. II. Thl. 2. Abthl. 1810. p. 1171.

55) Herbarum juventute earum confirmatur potentia, cum annis et vires deficientur. Instituiuntur vero de plantarum aetate optime chiromantiae ope: „Da sollend ihr erstlich wissen, das alle Kräuter, was eines Geschlechts ist, auch ein Chiromancei hat. Das aber die Linien derselbigen ungleich sind, und in einem mehr und größer als im andern, ist allein des Alters Schuld. Darum sagen wir hie, das die Chiromancei der Kräuter anders nichts nutz sei, denn allein zu wissen, und zu erfahren das Alter eines Krauts und seiner Wurzel.“ VI. 313. 344.

56) III. 58: „Darumb das alle Kräuter so nicht Blumen haben in den Krankheiten zu gebrauchen, so auch gleich der Zeichen

que ⁵⁷⁾, corporis nostri purgationes poris et foraminibus ⁵⁸⁾ exprimuntur. Nec denique aethetica q. d. negligitur rerum natura, ita ut ad pulchritudinis sensum provocetur in iudicanda rerum similitudine, unde v. gr. ranarum cognoscitur vis in peste salutaris ⁵⁹⁾.

Postremo id etiam monendum est, non modo quibus rebus praesentes morbi depellantur, sed quibus futura mala arceantur ex signatura quaesivisse Paracelsum, indeque v. gr. edoctum esse Malvam Alceam (? „Siegwurz“) adversus omnem munire ictum ⁶⁰⁾, Sydericam ab omnibus nos defendere venenis ⁶¹⁾, atque ejusmodi alia multa graviora etiam et magis miranda, quae tamen cum vulgo communicare non deceat ⁶²⁾.

mangeln. Denn etzliche Krankheiten mit gewissen Zeichen auswendig des Leibs kommen, da sollen die Kräuter mit Blumen gebraucht werden.“ — Sequitur exemplum urticarum hac ratione in peste adhibendarum.

57) III. 40. 58.

58) VII. 155.

59) III. 39: „Denn warum ist der Frosch anders beschaffen, denn dafs er soll sein ein Arznei in pestē? Darum träget er sein Signatur hierzu. Denn wie abscheulich ist pestis, da schauē, also abscheulich ist auch der Frosch.“

60) IX. 384: „Also die Sieg-wurz hat Geflecht um sich wie ein Panzer: das ist auch ein magisch Zeichen und Bedeutung, dafs sie behüt für Waffen wie ein Panzer.“

61) Ibid.: „Also die Wurz Syderica, hat in ihrem Kraut in jedem Blatt ein Bildnuß und Figur einer Schlangen, dadurch zeigt die Magica an, dafs sie behüt vor allerlei Vergiftungen.“

62) Ibid.: „Aus was Ursach vermeinst du auch, dafs sein (Wegwart sc.) Wurzel nach 7 Jahren sich in eines Vogels Gestalt verwandelt, und was zeigt die Magica davon an? Weist

du das, so schweig still dazu, und sag keinem Spötter nichts davon: weist du es aber nicht, so lerne es wissen, und frage ihm nach und schäme dich nicht zu fragen. Denn wer da fraget, gehet nicht irr, und thut nicht unrecht, wie man sagt. Denn es ist nit zu thun, ist auch von Gott selbst verboten, das Perlein nit für die Säu zu werfen, oder das Heilighum den Hunden zu geben“ u. s. w. Memoratu vero dignum est, Alrunae, cujus longe maxima in rebus istis magicis fuit fama et celebritas, nullam Paracelsum habuisse fidem: „Es möcht auch hie ein Einfältiger fragen, warum die Wurzel Alraun eines Menschen Gestalt, Angesicht, Händ und Füßs hätte, sie wär ohne Zweifel auch nicht ohne sonderliche grosse Ursachen also von Gott erschaffen. Dem geb ich zur Antwort und sag: es sei nicht wahr, das Alraun die Wurzel Menschengestalt hat, sondern es ist ein betrogene Arbeit und B—sch—i von den Landfahrern, die dann die Leut mehr denn mit diesem allein b—sch—n. Denn es ist gar kein Wurzel, die Menschengestalt hat, sie werden denn also geschnitzelt und gefornirt: von Gott ist kein also geschaffen,

Expositis ita variis signaturae modis jam a Paracelso brevi notatis, restat, ut ex ipsarum rerum signaturae ab illo descriptarum (quarum omnino inveni triginta quatuor) numero, unum proferam exemplum ipsius auctoris verbis expressum, quo magis ejusdem eluceat describendi ratio:

„Des Wasserpfeffers Signatur, so ich Sapenam riparum oder Persicariam heisse, ist zu den frischen Wunden: das beweiset die Form des Bluts und der rothe Blutstropfen mitten auf dem Blatt. Weiter auch, so gemeiniglich aus Unordnung Speis und Tranks eine Wundsucht sich zur Wunden schlägt, als da ist Geschwulst und Hitz und viel Blutens: da bedarfst du eine Arznei von dreien Stucken, das ist ein Recept allen dreien Gebrechen für zu kommen, daraus folget das Recept also: der Geschwulst und Hitze, auch dem Bluten für zu kommen, stehet die Kraft vollkommen da in dem Kraut Persicariae. Für das Bluten da ist die Arznei im Stengel, da siehe, wie es so roth siehet, wie ein Blutstropfen nach dem andern aus der Wunden tropfet: also auch die Signatur und Form im Stengel Persicariae beschaffen ist. Der Geschwulst aber vorzukommen, ist und sein die Blätter und Kernen von den Pfirsichen: da schau jetzt an die Frucht der Pfirsichen, so sie mit den Fingern gedrückt wird, Gruben läst, also auch die Wunden ungeschlacht ist und Gruben hinter ihr läst. Schau nun ob im Blatt des Pfirsichs und die Blätter Persicariae nicht überein treffen. Also sein zweierlei Kräuter verordnet wider 3erlei Gebrechen: denn diese beiden sein also genugsam von der Natur geordnet ein Arznei zu sein in der Wunden. Aber nicht zur Heilung allein, sondern eine Mithülfe wider die Zufälle der Wunden, denn eine Wunden bedarf des Incarnirens, so sie ohne böse Zufälle bleibet. Wo aber je Zufälle beifallen, muß die Arznei auch also gesucht werden. Also mit vielen andern Medicamenten zu verstehen ist, da die Arznei eine Speise, Arznei wider die Krankheit an ihr selber, auch wider die Zufälle

oder die von Natur also wächst, darum ist weiter davon nit zu reden.“ IX. 385. — Quicunque scire cupit, qua fraude paratae sint illae Alrunae legat quod hac de re LUNGERSHAUSEN diss.

de imitamentis natur. circa fig. Jenae 1692. p. 18 collegit. Praeterea legi meretur: CHRIST. GOTTF. ROTH diss. de imaginibus Germ. magic. quas Alrunas vocant. Helmst. 1737. 8.

zugleich ist. — Ja, das mußt du Doctor wissen!“
P. III. p. 40. 41.

C A P U T III.

Summa rei absolutio.

Jactis a magistro fundamentis non defuit pedisequarum et satellitum turba, qui labore magis et sudore quam ingenio perficerent aedificium ab illo susceptum. Imprimis autem tres excelluerunt viri et studii industria et aequalium assentatione: Italus, Germanus et Francogallus, quibus ars signatoria florem suum debet speciosuni magis quam verum et genuinum.

JOANN. BAPTIST. PORTA, Neapolitanus, finitis quatuor libris „de humana physiognomonia“¹⁾, quibus ab extimis, quae in hominum corporibus conspiciuntur, signis eorum naturas, mores et consilia demonstrare conatus est, Phytognomonica scripsit octo libris contenta²⁾, in quibus novam facillimamque promittit methodum, qua plantarum, animalium, metallorum, rerum denique omnium ex prima extimae faciei inspectione abditas vires quivis assequatur. Arti scilicet nostrae signatoriae regulas praescribit ex ejusdem opinionione nulli dum neque antiquorum, neque recentiorum memoratas. Exemplo etenim venatorum, equitum, pastorum, aucupum denique ex animalium effigie morum propensiones cognoscentium eorumque delectus facientium inductus, et animantium et corporum animis destitutorum signa exteriora primo assidue contemplabatur, indeque eorum virtutes ita constituere tentabat, ut, quae vel colorum hilaritate, vel odoris suavitate vel conformationis venustate et elegantia coelestem majestatem prae se ferre viderentur, iisdem vires tribueret homini amicas, quae contra vel constructionis deformitate, vel odoris foeditate, vel colorum squalore intuenti terrorem incuterent, iis perniciosas dotes tribueret. Congeneres item herbas iisdem fere, diffformes alienis virtutibus gaudere, si vero aliquae forent, quae ex diversis compositae viderentur, com-

1) Ed. postrem. Francof. 1618. PORTAE octo libr. content. Ed.

2) Phytognomonica Jo. BAPT. poster. Francof. 1608.

positas utriusque facultates eas possidere sibi visus est. Consensum denique statuit et tacitam quandam naturalem hominum divinationem, ut herbas quisque ad suos morbos profligandos assumeret, quae similitudine quadam ad id facere viderentur. — Notas ita inventas cum rerum dotibus comparando alio modo reperitis, mirum se observasse ait concentum, et ita numerosam paulatim sibi confluisse mirabilium contemplationum multitudinem, e quarum copia tantummodo exempla nobis communicare vult potissimum in medicina apposita, ne ansam det impiis hominibus malefica excogitandi, dum docti et perspicaces viri ex his alia intellecturi sint.

Quod novae suae doctrinae serviat fundamentum id fere solum affert, ut et veterum philosophorum auctoritate, et exemplis quibusdam humanae vitae depromptis probare studeat: corpus et animum mutua conjunctione inter sese consequi, eo modo hoc argumentum plantarum naturae aptans, ut earum animam vim vocet „illam internam et arcanam operandi, quasi naturae dotem“, quae si morbos humanos fugare polleat, virtus, si perniciem homini afferat, vitium sit appellanda (p. 1, 2). Quas dotes simul cum externa herbarum effigie ex soli natura, coeli habitu, loci genio, et cultus illecebris variari quomodo multis auxiliis, magnoque verborum impendio illustrare autor periculum faciat (p. 2, 11, 12. tot. libr. II. p. 41 — 138), ita ut aliae aquaticis, aliae terrestribus, aliae amphibiiis, aliae maritimis, aliae fluviatilibus, aliae palustribus, aliae macro, aliae pingui solo nascentibus, aliae sub torrida, alia sub frigida zona degentibus etc. plantis vindicandae sint vires et formae, minus ad rem nostram spectat signatoriam, quae indiciis palam jacentibus freta longam spernit ratiocinationem, ideoque non magis quaerit, qua ratione ex nota altera ignota vestigari possit herbae qualitas, dum phytopta noster vehementer laborat ut ostendat v. c. herbam, quam aliis conjecturis calidam esse cognoverimus, eandem olere, et tenuium partium esse, et urinam movere (p. 12). Propius ad nostram pertinet causam, quod sicut olim Theophrastus³⁾, universum herbarum figuram corpori humano ita comparat, ut singula singulis respondeant membris, radices inquam pedibus, truncus trunco,

3) Hist. plant. lib. I. c. 1.

rami brachiis, surculi manibus, ossibus lignum, reliqua reliquis (p. 3 seqq.). Ejusmodi principiis autor, irrisa antiquorum philosophorum secundum „primas qualitates“ plantarum virtutes investigandi methodo (p. 8), neque consiliis iis contentus, quae a divinatribus, daemonibus, casu, somnio, vaticinio, animalium exemplo etc. oriuntur (p. 9), ipsius superinstruct ex similitudine, sermone quasi picto (p. 14), arcanas dotes cognoscendi disciplinam. Unde statim ad planiorem variorum doctrinae ordinum expositionem progreditur, eo modo explens syllogismi sui, quas nemo non videt, lacunas, ut ad summum provocet rerum conditorem, qui ex ejus sententia frustra herbarum copiam creavit, si illarum virtutes homini non aperisset (prooem. et p. 298, 356, 399, 444), neque praestantiore aut concinniore modo id patefacere potuerit, quam similitudinis lingua nulli totius terrae populo ignota (p. 13, 14, 140. cf. p. 273).

Sex autem praecipua sunt genera virtutes herbarum medicinales similitudinis ope explorandi, quae totidem libris autor explicat, praemisso uno, quo in genere rem suam disquirat, altero quo institutionem amplectatur ex plantarum locis natalitiis et alimentis nobis prodeuntem; quae igitur ad ea referenda mihi videantur, quae „appropriata“ Paracelsus appellavit signa.

Primum vero id est genus quod plantarum spectat similitudines integri corporis humani partes facie et figura mentientes, unde patefiat easdem illorum membrorum morbis, si qui accidunt, mederi (p. 22. lib. III. p. 139—237). Quod quo magis appareat, similes distinguit corporis partes, quales humores nervi, caro, ossa etc., et dissimiles quales os, oculi, nasus, manus et ejusmodi, has in externas internasque subdividens. Ita singula singulatim tractans humores in universum statuit plantarum humani corporis humores augere posse et purgare (139—141), tum, veteri de quadruplici humorum hominis qualitate doctrinae innixus, praecipuoque colorum habito respectu, docet flavos croceosque plantarum succos bilem vel augere vel expurgare, nec non ad icterum valere (p. 148—154), multisque firmare studet exemplis, e quibus memorasse sufficiat. Croci, mellis, vini flavi, Aloës, Centaurii minoris, Colocynthidis, Ricini, Chelidonii, Pastinacae, simulatque ex animalium serie, lacertarum viridium,

leonum, ovorum vitelli. Imo solo oculorum intuitu humores purgari posse non dubitat (p. 155). Inde ad varias bilis species descendens, quae prasinam purgent bilem colore interprete statuit: Narcissi florem, Blitum, Atriplicem, Smaragdum, Jaspidem, quae pallidam: Bryoniae, Hemerocallidis flores. Atri vero coloris plantas nigraque animalia atram augere bilem et exinde morbos pessimos: coecitates, furores et dira portenta generare fabae testantur ex Ciceronis sententia hac de causa Pythagoreis interdictae, multaque leguminum genera, et Apii, quibus veterum ornabantur sepulcra, Hyosciamus niger jam a Xenophonte condemnatus, nigra papaveris semina, alia multa. Neque vero morbiferis solummodo gaudent viribus sed iisdem morbifugis, ubi enim malum ibi remedium esse antea (p. 142) Porta nos docuit, ita ut quae damna eadem remedia herbae praestent et animalia. Medentur igitur haec nigri, coerulei, purpurei et fuscii coloris medicamenta melancholiae universae i. e. morbis atrabilaribus, hac ratione hilarem cutis colorem conciliantia (p. 167), contra daemониacos maxime valentia (p. 168), veneris denique potentiam, ex vehementi imaginatione amissam, recuperantia (p. 172), quibus viribus, ut ex plurimis pauca repetam, Veratrum nigrum pollet, Mandragora, Scorzonera vulgaris, tum Cassia, Crocus, cerasus niger, amplius: Paris (quadrifolia), Rhamnus (catharticus), canis nigri sanguis, Gagates lapis, corvus tandem niger, grana Paeoniae et Abrotani ramuli. — Pari modo albiflorae plantae et animalia candida in alimentum assumpta augent, medicamentorum loco expurgant pituitam (p. 173—176), quorum illud cucurbitae flores, fungi albi, lactuca, anserum sicut omnium volucrum caro alba, hoc Veratrum album, Sambuci, Pyrethri, Angelicae, Ricini flores confirmare sufficiant. — Quae vero rubri sunt coloris continuo esu sanguinem augent, nec minus ad sanguinis purgationem valent quaecunque sanguineo succo mudent (p. 176—181) Rajae instar et Centaurii minoris florum, vel Rhabarbari radice, atque vulneribus bene adhibentur, ut Mori fructus et Rubi Idaei, Polygonum Bistorta, Tormentillae radix, Hydropiper, Hypericum, Haematites lapis, Cinnabaris, alia plurima. Mixti denique coloris plantae, animalia, gemmae mistos trahunt humores (p. 182—184). Quod si flores sunt albi luteique: pituitam simul et bilem pur-

gabunt, quales Anthemidis, umbellae Sambuci etc., similiter similia. — Lactuosae plantae et animalia ad lac valent (p. 184), uti Lactuca nomen inde gerens, Sonchus, Altheae et Bryoniae radices, amygdalae, caprinus, ovillus vel vaccinus caseus, ex lapidibus vero Galactites et alii, atque sperma generant (p. 186) tamquam Papaver, Pistacea, legumina, ficus etc. — Serosi contra plantarum humores serum purgant (p. 186, 187). Herbae lac cogentes et humanum semen coagulant, lac dissolventes conceptum disperdunt (p. 187), quare v. c. Carduus, ficus, Galium quaerenda, Menthae contra folia, Brassicae flos fugienda conjugibus. — Menstrua movent sanguineae plantae (p. 189, 190), quales Rubia, Ruscus, Hypericum, pariter animalia si quae menstruis abundant, quod de vacca, capra et cerva autor affirmat. — Glauci succi plantae urinam cient (p. 190), quarum exempla Ageratum, Abrotanum, Asparagus, Ononis, Absinthium, aliarum copia. — Arborum lacrymae et sudores ad lacrymas et sudores valent (p. 191), uti Thus, Myrrha, Styrax, Tragacantha. Salivosae plantae et animalia, Portulaca igitur, Ledum, cucumeres sicut limax salivam ciere polent (p. 192). —

Comparatis ita humoribus ad alias jam accedit corporis humani partes similes, primoque carnosas plantas carnosos reddere tabidisque mederi hominibus constituit (p. 192), a rapis, bulbis, Betarum foliis et Brassicarum, fungis, nec non testudinibus et cancris petens argumentum; ossosas vero sive lignosas plantas ossibus mederi (p. 193), maxime Abrotani, Ocymi radices, Myrrham, Ulmi cortices et Myrti; nervosas denique et cartilagineas plantas nervis (p. 194) prodesse et cartilaginibus⁴⁾, Poterii, Malvae radices, Laserpitii, vitis sarmentorum, Acori (Calami), Cannabis, lumbricorum, tauri, cucumeris deinde, cucurbitae, rapae, Pastinacae confirmat exemplis. Ultimo similiarium loco docemur alopecii mederi plantas et animalia villos vel capillos referentia (p. 196), qualia Adiantum, Polytrichum (Capillus Veneris), Trichomanem, quercus quasdam excrescentias, Cardui fructum, flores staminosas, ex animalibus autem lepores, ursos, sues, vulpes, erinaceos, capros multaque alia. Si vero

4) Veterum sensu uti e se- vosum animal cujus nervis ad
quente loco elucet: „taurus ner- glutinum utuntur.“ p. 195.

ad emendandam feminarum venustatem flavos nigrosque reddere volumus capillos, ad flavas nigrasque plantarum partes et animalium est confugiendum (p. 199), et *Lysimachia*, *Xanthii semina*, *Ligustrum*, *Lycium*, *Evonymus* etc. probata praestant remedia. *Glabri* contra et *crispi* plantarum caules et animalia ad *psilothra* *crisposque* valent capillos (p. 202).

Ad dissimilares easque externas corporis partes progrediens autor plantarum globosarum, magnique capitis animalium quasi praestantissimum contra gravissimos capitis morbos nobis praedicat usum (p. 203); talesque designat *Scillam*, *Nucem indicam*, *Cucurbitam*, *Papaver*, atque *asinum*, *elephantum*, *castorem*, *noctuam* et alia. — Quae oculorum speciem referant eorumque vitiis medeantur (p. 204), *Anthemidis* nominat, *Asteris attici flores*, *Bupthalmum*, *Caltham*, *Hieracium*, *Scorzoneram*, *Aconitum Pardalianchem*, *noctuam*, *lapidem „Belloculum“*, etc. pictis hanc et sequentes illustratus similitudines plantarum et humanarum partium imaginibus. — Magnarum similiter aurium animalia: *lepus*, *asinus*, *vulpes*, *canis* etc. ad auditus valent gravitatem (p. 207), dentibus vero ac dentitioni plantae praestant et animalia dentata (p. 208), uti *Dentaria*, *conus pineus*, *punici mali acini*, *leo*, *mures*, *delphini* etc. *Digitos* membrorumque articulos mentientes herbae *podagras* fugant et prohibent (p. 212), cujusmodi speciem inter alia manifeste operae seferant: *Hermodactyli radices*, *Palma Christi*, *Ischaemum*, *Sassaparilla*. Generationis instrumenta demonstrant (p. 215) proliquo igitur consulere possunt humano: *fabae*, *glandes*, *Orchis*, *Satyrium*, *Serapias*, animalia libidiosa etc. — Sed ad mares aut feminas generandas natura tam fructibus quam radicibus aliisque partibus aliquam indidit facultatem, ita quidem ut mariticae sint quae masculina, feminifica, quae muliebria imitantur genitalia (p. 220). Ex internis visceribus quae cordis specimen referunt plantae cordi subveniunt, valentque ad febres magni cordis animalia (p. 222). Exempla sufficiant: *Citri*, *Anacardi fructus*, *Antorae radices*, *Melissophylli folia* et *Cardiacae*, *Cydonia mala* et *Myrobalani*, sanguinis item guttae tres e vena asini auriculari depromptae, cervi caro, elephantis ebur, lepus, alia. — Pulmonibus quae succurrant plantas eorum imaginem fingentes *Pulmonariae* dicit diversas species (p. 225), et praedita magno pulmone animalia: *Chamae-*

leontem, testudinem. — Jecori prosunt plantae jecur ostendentes (p. 227): Capnium Aëtii (*Corydalis bulbosa* Prs.) ficus (jecur *συκωτόν* a Galeno vocatum), Agaricus et animalia magno jecore gaudentia: elephas, equus, lupo, anser etc. — Lienem vere effingunt (p. 228) ex plantis Asplenium, hederam, Lupinus, Aristolochia, Cyclamen atque ex animalibus liene excellunt vel nimis magno vel nimis parvo: boves, canes, torpedines, testudines, picae. Renum vitia pellunt Foenigraeci semina renunculis similia, atque phaseoli. — Ad tracheam contra, aliosque cavos corporis meatus cavi valent plantarum caules (p. 230), quales Cassiae siliquae, Tritici, Malvae, et aliorum. Partum adjuvant et secundinas promovent uterum mentientes ovique involucria radices, fructus, eorumque integumenta (p. 231), ideoque puerperis praeter ceteris sunt salutares: Aristolochia (ipso nomine jam indicante), Cyclamen, Juglans, Arum, Allium, nec minus cervarum, equarum, canum et felium placentae. — Vesicariae denique plantae instructaque magnis vesicis animalia vesicae se praebent salubria (p. 235), exemplis Haliacacubo, Colutea, Staphylodendro (*Staphylen pinnata* L.) atque delphino, balaena, lycis urina.

Sed jam de altero signaturae genere est dicendum eas respiciente similitudines, quae non hominis sed animalium partes et actiones imitantur, eoque significant easdem sibi inesse vires et facultates, quibus illa praestent (p. 22—25. libr. IV. p. 237—297). Atque hic tam infinitus auctori se praebet exemplorum numerus, ut in iis consistat, quae ipsa appellatione, a variis gentibus variis temporibus imposita, similitudinis veritatem testantur. De conformationis similitudine incipiens, ea quidem, quae integri reddit animalis effigiem Thelyphonum nos docet, Cynoctonon, et Aconiti species, quoniam radicibus suis imitentur scorpionem, ejusdem morsibus mederi (p. 238), serpentes quoniam Bistorta (*Serpentaria* etiam dicta), Bonus Henricus (*Colubrina* aliquibus vocata), Scorzonera etc., earum opem ferre venenis (p. 241). Ad foecunditates valere (p. 242) flores, qui muscas ostentent et papiliones: Cynosorchidum (*Ophrys myodes*, Jacq., *Ophr. apifera*, Sm.) et legumium (*Papilioniferae*), sic ad polypum *Polypodium*, *Psyllium* ad pulices esse referendum, ad alia alia (p. 244). — Quum autem ad partium progredimur similitudinem, maculosas serpen-

tum pelles ostendunt (p. 246): Arum, Dracunculus, Ophioscoridon, Ophiusa, squamas (p. 250) pinus, Picea, Eryngium, quadrupedum vero maculosas pelles (p. 248): Cyclamen, Bliti genera versicolora, Ari folia, villosas pelles (p. 251) plantae villosae: Pilosella, Verbascum („Lupina cauda“ a quibusdam addictum), Lanaria etc. Lignosa denique et lapidosa amphibiorum integumenta plantae lignosis fructuum tegminibus instructae (p. 252): pinus, amygdalus, punicum malum. — Ex ferinis artubus capita demonstrant (p. 253) viperarum: Echium, vituli: Antirrhinum, arietis: Cicer, Cynocephalum, canis; caprorum cornua (p. 255): Cytisus, Tragoceros, bovm; Foenum graecum et Buceros; cervorum: Coronopus, Ferulacea etc., galli cristas (p. 259): Alectorolophus, Horminum, alaudae: Corydalis, pavonis; Foeniculum et omnes fere Umbelliferae. Aures indicant (p. 263) murium: Myosotis, Pilosella, leporis: Dictamnus, vespertilionis: Anagallis, asini: Symphytum, ursi: Sanicula; oculos (p. 264) boum: Bupthalmum, mustelae (γάλη): Galiopsis, leporum: Lycopsis, canis: Cynopsis; os atque rostrum (p. 265) leonis: Antirrhinum, lupi: Iris (λύκος, etiam dicta), draconis: Dracunculus, ranae: Acanthus; linguam (p. 269) canis: Cynoglossum, bovis; Buglossum, Symphytum, agni: Arnoglossum (Plantago), avis: Orneoglossum, serpentis: Ophioglossum, reliqua. Dentes vero ostentant (p. 272) serpentum: herbae senticosae, quales Rubus, Carduus benedictus etc., canum: Ribes, Lycium; scorpionum autem aculeos et phalangiorum: Spinacea, Asparagus, Urtica etc. Vaccarum mammis similes sunt Asphodeli radices, avicularum cordibus: Anacardiae fructus; caprae lieni: Malvae folia; testes imitantur (p. 277) canum: Cynosorchis, hircinas: Tragorchis, buteonis: Triorchis; veretrum contra fingunt (p. 279) caninum: Orobanche (κυννομόριον); asininum scrotum: Lillii flores excussis staminibus; caudas inter alia referunt scorpionum: Scorpioides, Heliotropii flos („Scorpiurus“), Cuminum silvestre, equi: Equisetum, vulpis: Alopecurus. Pedes denique indicant (p. 285) leonum: Leontopodium, leporum: Lagopus, lupi: Lycopus, equi: Tussilago (Syn. Ungula caballina), corvi: Coronopus, anserum: Atriplex (Chenopodium), Eryngium, Scolopendrae: Hedera, galli: Consolida (Syn. Gallicalcar. Rittersporn), Caulalis etc. — Animalium vero non modo formae, sed actiones etiam a plantis

referuntur, sicut arbores perpetuifoliae ea quasi repraesentant animalia (p. 290), quae hieme sine cibo vivunt in cavernis, Aparine aliaeque flores, quae simulac aperiuntur fructum praebent, ejusmodi animalia, quae partis intra se ovis mox pullos edunt (p. 292), ita luporum, cuniculorum aliorumque superfoetationes ostendunt (p. 293): Citrus, Ficus, Juniperus, Ilex; plantae vero super alias viventes, uti Viscum, Dryopteris, filices, fungi etc. animales imitantur parasitos (p. 294), Trifolium item inhorrescit contra tempestates ut vituli marini pellis, neque desunt quae chamaeleontis instar mutant colores. Multae denique sunt herbarum frondes, flores, fructus et radices, quae ad suas vires manifestandas animalium odores imitantur (p. 295), qua ratione ad luxuriam valent quae hircum olent: Tragorchis, Pimpinella hircina; moschi odorem reddunt: Rosa moschatula, Geranii quaedam genera; catulorum lactantium Hyosciamus, Cynoglossum.

Tertio loco eas tractat similitudines, quae ipsius humani cujusdam morbi expriment effigiem, aut propriae valetudinis afflictione, aut morbi tantum speciem suis partibus figurando (p. 25. 26. Lib. V. p. 297—360). — Hic docemur plantas, animalia, omniaque terrae nascentia quae longius vivant ac se renouent, aut quae non obnoxia sint putrefactioni, humanam prolongare vitam (p. 299); ex arboribus igitur Cedrum, Ebenum, Buxum, Taxum, Oleam, Quercum, rel.; ex herbis: Aloem, Scillam, Triticum, Rorem marinum etc., ex animalibus vero longaeua: cervum, elephantum, viperam, cornicem, testudines, stryges et alia, sal denique et aurum, quia nunquam putrescant.

Brevioris contra vitae plantae: fungi, pepones et ejusmodi, atque animalia: cochleae, anguillae etc. vitam brevioris reddunt (p. 309); pingues arbores: Pinus, Amygdalus, Avellana, Fagus; et obesa animalia: sues, scinci, anates, testudines corporis augent saginam (p. 310), macilentae contra plantae et animalia: Fraxinus, atque lepus, perdix, omniaque silvestria animalia maciem afferunt (p. 313). Ad sphacelum valent (p. 314), quae ipsae siderationem patiuntur plantae: Cicer, Salviae folia etc. Vermes generant (p. 315), quae vermiculantur arbores et fructus, uti poma et legumina, depellunt, qui ipsos nunquam producant: Laurus, Sinapis, Absinthium multaue olera. Singula-

res omnino plantarum morbi iisdem nostris medentur, qui lichenibus muscoque teguntur arbores licheni, leprae et scabiei (p. 313), ficus, cujus radix deglubitur, ulcera sanat tibiaram, olea, quae clavum patitur, ad carbunculos valet et nomas, et alia ejusmodi. Peculiares item animalium morbi eorundem humanorum indicant remedia (p. 319), velut caprarum, quae caligine oculorum saepe laborant, felle paratum collyrium ad oculorum valet vitia, simili ratione asininum lac commendatur contra tussim, cerebrumque contra morbum comitalem, boum, struma non raro tentatorum, ungulae cinis strumas discutit, ab hydrophobia tutus est, qui vermem adalligaverit e canino cadavere depromptum; multaque alia huc referuntur. — Extenuant corpus (p. 322) plantae super plantis nascentes, easque extenuantes: Viscum, Cuscuta etc. Quae caudicis fissionem et vulnera facile patiuntur herbae et animalia hominis vulnera bene conglutinant (p. 323): Ulmus, Platanus, vitis, pyrus, lacerta, lumbricus, e. s. p. Cutem humanam mundant (p. 324), quae corticem facile abjiciunt plantae: Fagus, abies, allium, hordeum et animalia: viperae, salamandrae, cancri etc. Quae gummi et resinas resudant plantae purulentationi medentur (p. 327), unde gummatos cerasi, Ammoniacy, Opoponacy, Guajacy e. a. derivanda est vis medicatrix; quae vero in aliam speciem abeunt plantae „Populi instar albae in nigram mutatae“ (!), tritici in avenam (!), Ocimi in Serpyllum (!) etc. contra morbos sunt adhibendae in alios degenerantes (p. 328).

Maculosae plantae et animalia nostrorum corporum abstergunt maculas (p. 329), et oculorum nubes et glaucomata tollunt; squamas autem corporis squarrosae delent plantae et animalia (p. 334), teste Scabiosa, pino, Sabina atque Crocodilo, Scinco, piscibus etc. Vulnera significant atque fistulas perforatae plantae et fistulosae (p. 337): Gentiana cruciata, Hypericum perforatum, Ulmi folia, item Symphytum, Helleborus. Valent etiam ad vulnera angulosae caules: Sideritis, Centaurii minoris, Gladioli, aliorum, spinosaeque plantae: Rubus, Dipsacus etc., quippe quod spiculis angulosis et mucronatis cuspidibus vulnera infligi soleant (p. 338). Arbores plantaeque acutifoliae acute quoque operantur (p. 339), sicut Sagapenum, Euphorbium, Pyrethrum, Zingiber etc. Vulnera glutinant, quae gluten ostendunt arbores et animalia

(p. 340) exemplis: Hibisci radice, Visco, Myrrha, Gummate Elemi, Glycyrrhiza, Ichthyocolia etc. Tumentes stirpium partes, tumidaque animalia nostri corporis tumoribus prosunt (p. 342), glandes itaque, lenticulae, bulbi, Scrofulariae, Cyclaminis aliorumque radices, rana porro, testudo etc. Quae flammeo sunt flore plantae inflammationis adhibeantur remedia (p. 344) v. gr. rosa, Crocus, Amygdala, uva rubra etc., ad sedandam ex vini haustu temulentiam vero valent, quae faciei inflammationes ex ebrietate referunt (p. 347): Arbuti fructus, viola, rosae quaedam et alia. Nyctalopiam sanant quae noctu vident animalia (p. 349); inde jecoris caprini et ovini, adipis lupini, hyaenae fellis, linguae vulpinae, noctuae cerebri atque similitum ex Portae sententia derivandae sunt vires salubres. Ad oculorum claritatem omnino valent acuti visus animalia (p. 353), imprimis fel leonis et aquilae, milui jecur et vulturis etc. Quibus contra oculi excoecantur et denuo renascuntur animalia in ulceribus praestant et cicatricibus oculorum (p. 355), quare celebrantur columbi, palumbi et hirundinis sanguis, lacertae cinis et viperae etc. Morbi comitialis spumam Papaver demonstrat, et Hippoglossum foliis acutis laterum significat puncturas (p. 358). Calculos conterunt quae plantarum vel animalium partes lapidum duritiam ipsae ostendunt (p. 359) exemplo Lithospermi, Mespili, Cancrorum lapidum, spongiarum etc. Loquacia denique animalia, quoniam colicae passioni non obnoxia, eandem homini prohibent (p. 360), Turturis hac de re, alaudae, hirundinis esus maxime commendandus.

Postremo monemur plantas caulium angulorum numero, radicum, nodorum, foliorumve febrium circuitus ostentare atque ita demonstrare, quae tertianis quaeve quartanis medeantur (p. 463).

Nec vero solum ex faciei aemulatione sed etiam ex actionum similitudine plantarum vires agnoscere licet, de qua loco quarto nos admonet autor (p. 26. 27. Lib. VI. p. 361—411). Vocat enim praeter philosophorum usum plantarum actiones nascendi, crescendi, florendi, prolificandi modum atque tempus, et quo amore se prosequantur aut horreant. Ita docemur steriles plantas, quales habet filices, Sabinam, Juniperum, Mandragoram, Populum, et al. homines reddere steriles, partusque immaturos expellere, eademque pollere animalia sterilia, sive quae illegitimo naturae ordine



suas habeant natales (p. 367), Ostrearum instar, salamandarum, mulorum, et aliorum; adaugere contra semen humanum uberes seminum plantas (p. 369): vites, Daucum, Cuminum, Polygonum etc., et animalia: equum, passerem, gallum etc. Prolem item praeepidere plantarum radices prole carentes (p. 373) ut pini, Sabinae, Brassicae, pauciparaeque et casta animalia: taurum, testudinem, palumbum etc.; foecunditati autem inservire (p. 375) foecundas plantarum radices, uti asparagi, arundinis, omnesque bulbos, et animalia multipara, v. c. sues, canes et cammaros. Huc id etiam refert autor, quod, quae plantae vel animalia partibus aliquibus careant, noxia sint respondentibus hominis membris (p. 378), quare fungos quam plurimis obesse corporis nostri partibus, fugiendasque esse plantas aphyllas, et radicibus destructas, aequae ac animalia vel sanguine ut mollusca, vel collo ut talpam ranamque, vel testibus ut pisces, vel pedibus ut vespertiliones, vel alia aliis membris carentia. Ad conceptum valent et plantae multiferae, veluti quercus et diversas gallarum species, et uniones, cirros, fungos, viscum etc. ferens, et viviparae (p. 386), sive quae in fructibus animalia gignant, veluti terebinthi vermes parientes, et animalia facile concipientia. Partum retinent (p. 388) quae aliis plantis praestant ut fructus continent, levant (p. 389) facile parientes plantae et animalia: brassica, ilex, torpedo, vipera etc.; pulcherri-
mae vero plantae pulchraeque animalia pulchram comparant sobolem (p. 390), imprimis Palma, Cydonia mala ex Solonis lege sponsae in thalamum venienti manducanda, ex animalibus autem lepus. In universum a pulcherrimis plantis nostra commoda ut a Lilia, Olea, a deformibus: Aconito, Cicuta, Mandragora, fungis multis incommoda proveniunt (p. 392). Magnae plantae effoetis sunt viribus: abies, platanus, cucurbita etc., maximis vero parvae (p. 394): piper, Sinapis, Aconitum etc. Ad frangendos corporis nostri calculos atque dentes plantae valent, quae saxa frangunt (p. 396): Saxifraga, Parietaria, Hedera e. s. p., animalium vero ea, quae lapides vorant ut Struthiocamelus, gallina, corvus etc. Plantae super alias plantas nascentes earum virtutes habent sublimiores atque „extractiores“ (p. 399). In quo orbis terrarum loco plantae quaelibet nascuntur, ejusdem (endemicis) morbis medentur (p. 401), idemque de temporibus valet quibus oriuntur (p. 403), ita

quidem ut veris morborum vernae, aestatis aestivae etc. plantae sint remedia, eorum autem, qui pluries eveniunt, herbae pluries aut diutius florentes, perpetuifoliae denique plantae iis oppositae sint morbis, qui omni tempore homines possunt affligere.

Ita de plantarum actionibus earumque significatione edocti jam ad nova accedimus artis phytognomonicae praesidia ex illis haurienda signis, quae plantarum animaliumque mores nominat autor subtilissime distinguens (p. 27—29. Lib. VII. p. 412—465). Quod quomodo intelligendum sit optime ex ipsa argumentorum enarratione patebit. Animalia, docemur, ingenio et docilitate praestantia ad hominum intelligentiam et memoriam valere (p. 414), unde eboris elephantini, simiae cordis, cornu cervi explicandae sint vires salutare; ruditatem contra efficere maxime bruta et indocilia animalia (p. 418): mures, oves, asinos etc. Animalia vigilia vigiles, somniculosa somnolentos reddere homines (p. 418), quae somnient vero, hominibus somnia movere terribilia, placida, vera falsaque, quin etiam plantas secundum amoenum aut tetrum ipsarum aspectum somnia afferre (p. 423) hilaria, tristia, vera et falsa, unde v. gr. laurus vaticinae arboris (*μαντικόν φοτόν*) nomen sibi nuncuparit. Ebrietatem efficere (p. 424) quae vinum oleant ut pyrum, lupulum, Oenotheram etc., arcere contra aquosa animalia plantasque. Clamosa porro et obstrepera animalia, in cibo homini propinata, ad vocis vitia valere (p. 426), veluti gallum, anatem et canem. In somnis loqui homines cogere noctiloquas aves (p. 427): bubonem, anserem etc. taciturnitatem contra largiri animalia tacita: chamaeleonem, testudinem etc. ferociam augere atque cor humanum roborare fortissima animalia (p. 429): leonem, draconem, vulturem etc., quae eadem contra nocturnos valeant pavores. Iracunda animalia: ursum et leonem iracundos, mitia, uti cervum, mites reddere homines (p. 432). Dubitandum vero esse num recte senserint majores nostri mutuas uxorias rixas animalibus conjugii amantissimis sedari (p. 433)! Inanem deinde eorum fuisse sententiam de vi quadam amatoria earum rerum, quae attrahendi („magnetica“) gaudeant facultate (p. 436), futiliaque argumenta, quibus plantas ad mutua odia et amores valere ex forma et actionibus opinati sint. Ita tamen Porta disserit, ut, ex mea quidem sententia, majorem tacite hujusmodi

rebus tribuat fidem, quam vult videri, verens fortasse, ne magi cognominis sibi comparet ignominiam (vid. supr.). Plus laudis illi autor tribuit opinioni, e qua animalia, quae probrosae veneris speciem quandam prae se ferant, contra eam valent (p. 442), sineque ulla dubitatione contendit: hilares plantas et animalia hilaritatem parare, tristia moerorem (p. 443). Plantarum, quarum altera alteram perhorrescat, invisam resarcire damna ab invidente illata (p. 444), hinc vini temulentiam depellere brassicam, laurum et Avel lanam vitis adversarios, Cicutae venenum rutam hebetare illi inimicam etc., similiaque afferenda esse exempla animalium: elephantiasin v. gr. serpentes sanare aliosque elephantii hostes, caninam rabiem hyaenae cinerem etc., quapropter animalia cum venenatis animalibus proeliantia optima contra illorum venena praebeant remedia. Quae vero plantae vel animalia mutua se fugiant antipathia, mutuas retinere et adversantes virtutes (p. 451), eademque et de particulari et de mutua herbarum et animalium sympathia esse dicenda (p. 453). Concoquendi facultatem hominibus praestare voraces plantas (p. 459): Nasturtium, Sinapim, atque bestias: struthiocamelum, lupum, anatem etc. Contra venenatas herbas valere, quae impune iis vescantur animalia (p. 462), Ferulae ideo lac asininum, Cicutae sturnum, Taxi gallinas esse antidota.

Jam reliquum est, ut eas explicemus similitudines, quibus plantae, qui ipsis sit cum coelestibus sideribus, mutuum consensum indicant, astrorumque virtutum compotes se commonstrant Porta auctore. (P. 32 — 34 Lib. VIII. p. 465 — 491.) *Solares* autem omnes esse dicit plantas vel aurifloras (p. 467), nec non quaecunque metallorum, gemmarum, lapidum aureo micent fulgore, aurum igitur ipsum, chrysoprasum, succinum etc., vel heliotropias sive quae quotidie cum sole circumaguntur (p. 476), veluti Carduum, Heliotropium, vel forma solis imaginem effingentes (p. 484) veluti Heliochrysum, Helenium, Anthemidem, atque ex animalibus leonem, aquilam, gallum, vel denique quae sub torrida zona nascantur (p. 489): Cinnamomum igitur, Caryophyllos, Cassiam etc. *Jovi* vero sunt addictae ejusdemque virtutum animo, cordi, et venenatis hominibus salubrium compotes, ex nostri sententia, quaecunque crocei sunt coloris plantae vel gemmae (p. 469): Crocus, Mentha, Senna, lapisque Hyacinthus. *Luna-*

res contra albiflorae sunt plantae, et argentei coloris metalla et gemmae (p. 470). Cerebro itaque praesunt cum luna: Scilla, Galanga, Bryonia, margaritae, multae conchae, idemque valent, quae vel ad lunae vices moventur (p. 479), ut faba, Senecio, Selenites lapis, vel noctu splendent ad lunae lucem v. c. Aglaopholis, Lunaria, Paeonia etc., vel lunae quandam referunt formam (p. 486), velut Senna, Lunaria, pectiones quidam marini, vel frondibus tantummodo lunae maculas ostendentes (p. 489): Cyclamen, Persicaria, Arum etc., animalia denique, quae cum luna quandam habent consensum (p. 481), qualia mustelae, simiae, elephantis, mures, conchylia etc., vel quorum ad lunae vices crescit senescitque cerebrum, quod de capris, ovibus, suibus, coturnicibus, gallinis et al. autor contendit. *Martis vires, sanguinis compescendi et purgandi, possident, quae fragranti carbonis colore rutilant flores et gemmae* (p. 471): rosa, Anagallis, Corallium, Haematites etc. *Veneri contra famulantur, quae carnei sunt coloris* (p. 473): Malva, Caryophyllorum flores et amygdalorum, rosae quaedam, lapidumque Carneolus, Onyx. *Saturnini sunt, lienique medentur lividi, virides, purpurei, coerulei, albicantes colores* (p. 474) Myricae, Teucriti, Hyssopi, Asari, nec non chalcedonii lapidis, Smaragdi, Sapphiri et aliorum. Variorum denique colorum flores et lapides *Mercurii sidus repraesentant* (p. 475), memoriae et eloquentiae praefectum. Huc referenda sunt: Iris, Bellis, Opalus, Amethystus etc. — Postremo contra fulmina nobis commendantur (p. 489) quae coelum versus surriguntur sicut phocarum pili et hyaenae austrinis ventis insurgentibus, pennaeque aquilinae, ex plantis autem omnia Trifolia, Bryonia, Laurus etc.

Variis variarum plantarum viribus ita dignoscendis id etiam addit autor ut maribus, morbisque masculinis masculae, feminis morbisque muliebribus, femineae plantae sint propinandae (p. 29), etenim jam tunc temporis ex universo plantarum habitu et conformatione earum sexum divinabant.

Hoc modo tam multa atque diversa, tam plantarum quam animalium, et externarum et internarum partium, et coloris et odoris et saporis, et actionum et morum indicia, et humanam et animale et morbosam et sideream vel lapideam speciem referentia, nobis sunt aperta, ut horum signorum peritissimus me-

dicus non possit non in maximam dubitationem adduci, quum nulla fere inveniatur planta plurimis iisque diversissimis viribus non praedita, nullusque morbus in cuius sanatione non anceps haereat inter infinita remedia. Et quo indiciorum velut labyrintho, ut nos mente sanos expediat, operae pretium habet phytophata noster indicare, quae in iudicando primas partes sibi vindicent, quaeve posthabenda (p. 35). Principales igitur, ex illius sententia, sunt notae, quae animalium partium imaginem apte referunt, secundum locum ea obtinent signa, quae humani corporis partes mentiuntur, tertium, quae morborum significant speciem, postremum alia ferent indicia. Quod autem ad singularum attinet vegetabilium partium dignitatem, seminum signa sunt firmissima, sequuntur floris, minus praestantia radicis, minima sunt frondis signa. Praeterea prima semper habenda est ratio partium membri humani, cui laboranti quaeritur remedium, respondentium. Itaque si humores purgandi sunt plantarum humores respiciantur, oculorum medicamenta ex floribus, ventriculi ex radicibus colligemus. Uni signo numquam credendum, minime communi, sed plura circa unum congruentia erunt consideranda. Extrema facies prius cognoscatur oportet, quam interna occultarum facultatum, integra planta primo consideretur, mox ejus partes, deinde natalitia loca et actionum tempora, quorum signorum ubi multa in unum conveniunt, certum proferendum est iudicium⁵⁾.

Osw. CROLLIUS, ducis Anhaltini celeberrimus archiater, ab ipso Germaniae imperatore Rudolpho II. consultus, acerbe vituperat (l. j. c. p. 16) eos rei herbariae scriptores, qui in sola consistant plantarum descriptione nominumque enotatione, signaturam, naturalem magicam (p. 20) sive artem praedestinatam (p. 38) ab eo cognominatam, non curantes. Salubres enim plantarum vires ipsarum appellat spiritum, arte signata cognoscendum, Vulcano (i. e. Chemia) cultroque anatomico eruendum (p. 17); maximeque contempta tanquam injusta et fallaci quatuor qualitatum censura, herbas „magice“ per signaturam velut alloqui dicit penitus introsipientem medicum. Hujus artis rerum „internum nucleum“ „externo cortice“ divinantis (p. 20),

5) Legantur etiam Jo. BAPT. ed. nov. Hanoviae 1619. Lib. I. PORTAE magiae natur. lib. XX. de caus. rer. c. 5 et 11.

cujus ope jam „protoplastes noster“ Adamus „statu innocentiae“ omnium rerum cognoverit naturam, indeque aptissima singulis rebus pro singulari facultate imposuerit nomina (p. 38), laudatissimae hujus artis causam atque fidem in voluntate quaerit benigni Dei, qui hominum causa cuique plantae suum indiderit indicem, ut autem aliquid tamen hominibus relinqueret laboris atque studii, nil fere posuerit „in propatulo“, signans tantum ut diligenti inquisitione omnia possimus explorare (p. 28), praecipue vero lapides atque metalla in terrae profundis abscondita, maxime „pro spiritu vitae“, herbasque in terrae superficie existentes, „pro conservanda corporis humani massa externa“ creata (p. 28, 29). — Paracelsum et Portam summis effert laudibus propter insignia eorum de signatura merita, suumque librum fatetur tam in librorum ab istis scriptorum autoritate quam in propria experientia niti. — Integrorum corporis nostri membrorum octoginta octo signaturas breviter nobis indicat, ita quidem ut singularum hominis partium titulis, ex ordine litterarum vulgari positis, singulas subsumat plantas similitudine eas repraesentantes, sequentibus morborum signaturis centum triginta novem eodem modo ordinatis, adjectis denique medicamentis ex similitudine juvantibus atque venenorum antidotis septuaginta tribus nescio cur a prioribus separatis. — Praeterea majoris cum minore mundo (homine) similitudinem atque miram harmoniam ita conatur comprobare, ut et sani et aegri hominis conditionibus respondententes comparet macrocosmi status, qua ratione humanam coeli facies, arteriarum pulsus siderum motus, anhelitum ventorum flatus, apoplexiam eclipsis, hydropem diluvium, epilepsiam tempestas effingant atque reddant. Omnibus denique hominum et virtutibus et vitiis et arti et sapientiae imagines vindicat et simulacra ex animalium regno deprompta. — Ut autem, qualis sit similitudines depingendi ususque inde derivandi autoris ratio, magis eluceat, Juglandum signaturam ipsius verbis referam:

„Juglandes habent integram capitis signaturam: cortex exterior seu herbaceum involuerum pericranii, qua de causa sal corticum ad vulnere pericranii singulare est. Cortex interior durior seu ligneum putamen cranii. Pellicula circumdans nucleum meningum et membranarum cerebri. Nucleus ipsius cerebri figuram

habet, ideo etiam ad cerebrum conducit et venena hebetat: nam nucleus tritus si cum quinta essentia vini humectatus vertici capitis imponatur confortat cerebrum et caput potenter.“

JOSEPHUS QUERCETANUS (DU CHESNE) ingenio non minus ac patria Francogallus, magistro Paracelso certe non absimilis jactantia atque gloriatione, hanc doctrinam pari cupiditate tractavit⁶⁾. Rejecta enim medicorum veterum gustu, qualitatibusve ac „temperamentis“ medicaminum vires cognoscendi ratione, allatisque, quibus ejus rationis probetur fallacia et temeritas, exemplis⁷⁾, in fidei signaturae habendae ruit laudes. Nixus scilicet in propositione illis temporibus gratissima: Deum naturamque nil facere frustra, ulterius argumentatur in neminis nisi in hominis finem istas creatas esse similitudines, ponique quasi speculo nobis ob oculos, cui quaeque utilia sint et „appropriata“, in quem omnino finem singula producta. Inde ad copiosiore signaturae expositionem descendens nil fere affert, quod non Porta jam proposuerit: quare breviori esse mihi liceat. Id modo commemorabo, tamquam temeritatis in explicanda similitudine documentum non exile, quod, ubi de plantis agit, quae, ipsa animalia animaliumve partes imitando, indicant se ad propellendos valere morbos ab iisdem animalibus subortos, etiam Calthae semen affert, quod quia brachia habeat cancro similia medeatur cancro! — Praeterea non obliviscendum, quod ad firmanda ex signaturis judicia necessaria dicit experimenta, neque causam efficaciae signaturam esse habendam, sed occasionem ad dignoscendas rerum virtutes, σημεῖα illa praebere sive εἰκότα, juvante experientia futura τεκμήρια (l. c. p. 741). — Id denique Quercetanus habet proprii ut internas etiam statuatur signaturas, quae non ex figurae, conformationis, colorumve constitutione sed ex principiorum, quae tunc valebant, chemicorum respectu proficiscuntur (p. 747 — 751). Nam sapes a sale esse dixit, odores a sulphure, colorem ex utro-

6) Jo. QUERCETANUS de priscorum philosophorum verae medicinae materia deque simplicium signaturis. Genev. 1609. 8. Hunc ipsius autoris librum legere mihi non contigit. cf. SPRENGEL *pragm. Gesch.* 3. Thl. 2te Aufl.

p. 448. — SENNERT de cons. et diss. p. 332.

7) QUERCETANUS redivivus, h. e. ars medic. dogmatico-hermetica ex Quercetanis scriptis digesta op. Jo. SCHROEDERI. Francof. 1679.

que sed potissimum a Mercurio provenire, et propterea in his aliter atque aliter dispositas esse res prout plus de alio, de alio minus participant.

CAPUT IV.

Ulteriora signaturae fata.

Non soli exstiterunt, ut dictum est, tres illi signaturae propugnatores, sed, quam universa Paracelsi doctrina mox sibi comparavit, sectatorum multitudo non defuit arti signatoriae. Ipso decimo sexto saeculo illam excoluerunt KHUNRATHIUS¹⁾, et REINERUS SOLENANDER, qui, ex ipsius professione²⁾, commentarium conscripsit „de characterismo“, quo ex herbarum foliis, floribus, seminis figura, ex trunco et stipite, ex succi qualitate, et id genus aliis conjectavit, quibus morbis, quarumque partium affectibus quaelibet herba conveniat.

BARTH. CARRICHTERUS³⁾, Maximiliani II. imperatoris archiater, qui solarum herbarum in morbis sanandis usitatione herbarii medici („*Kräteldoctor*“) cognomen sibi conciliavit, illud maxime Paracelsi: Stellas herbas esse coelestes, herbas stellas terrestres, mirifico modo atque fabuloso ita digessit, ut omnes, quae in officinis habentur, plantas in Zodiaci distribueret signa, quorum singula quatuor contineant gradus, redactis cunctis in quatuor, ut nominat, triplicitates: sanguinis, cholerae, melancholiae et phlegmatis, complectente prima librae, aquarii et geminorum, secunda sagittarii, arietis et leonis, tertia tauri, virginis et capricorni, quarta denique phlegmatis triplicitate: cancri, scorpionis et piscium signa cum ipsorum gradibus et herbis. Ita celeberrimum exemplar iis praefuit, qui has „sidereas“ potissimum signaturas postea amplexi sunt.

Mox accesserunt alii qui signaturam aut probarent, aut ipsi excolerent, in quibus JAC. SCHALLINGIUS, in sanandis oculorum morbis clarissimus, etsi non

1) KHUNRATH diss. de signat. rerum natur. Basil. 1588. — Comparare mihi non potui libellum.

2) Loc. cit. sect. V. cons. XXI. p. 502.

3) *Kräuterbuch des Edlen u. s. w. Doctoris BARTH. CARRICHTER. Strafsburg 1600.*

omnem remediorum potentiam in ea posuit, quaesivit tamen, atque exoptavit formae similitudinem, cum ita disputaret⁴⁾: „ut adsit analogicus membro alicui character stirpis, ubi crasis absit pura fallet opinio. Nappellus enim coeruleus cranium refert humanum et vitam capiti demolitur etc.“ — „nolim tamen dissimulare quod oculistica merito remedia dicantur quaecunque tum eucrasia, tum symmetria respondent oculo.“

Copiosiore signaturae tractationem HENR. NOLLIO⁵⁾ debemus: quid qui docuerit, ipsius fere verbis in compendium redactis explanabimus: „Nomina herbarum scire non est virtutes earundem nosse“ (p. 65). „Verus philosophus virtutes herbarum non explorato ex vulgaribus herbariis sed potius ex signatura, experientia atque hominibus, qui eas certa experientia indagaverunt“ (p. 64). „Microcosmus e macrocosmo“ (p. 93), „virtutes“ autem „rerum macrocosmicarum in microcosmum exercendae per signaturas cognoscuntur“ (p. 97). „Hac scientia doctus Adam cunctis animantibus nomina sua essentialia imposuit et propria, rei ejusdem Salomon fuit experts.“ „Hoc alphabetum in naturae libro physico-medicum qui discere respuit, verae medicinae imperitus, et indoctus manebit“ (p. 98). „Omnis herba suam ipsius insitam virtutem certo et infallibili signo ostendit homini“ (p. 61). „Signaturae quo plures in una eademque planta ad unam eandemque rem significandam collimant, eo sunt certiores.“ — In enumerandis variis signaturae generibus, repetitis tribus a Porta primis locis propositis, regulas addit tres alias, quas aequae ac priores exemplis fulcire non negligit, quartam: „animalium partes, quarum balsamum est valde fortis ad functionem debitam expediendam, vigorem inferunt similibus hominum partibus.“ 5^o. „Omnis bestia, quae venenum tantum in aliqua parte sui corporis habet, in se continet balsamum, quo tuto contra venena uti licet.“ 6^o „Quodcunque animal citra noxam ex venenatis corporibus alimentum quaerit, in se habet balsamicam naturam, quae contra venena potens est.“ — Quae quomodo huc pertineant, haud temere dubitari potest, cum alia

4) JAC. SCHALLINGII ophthalmia sive disquisitio hermetico-galenica de natura oculor. Erfurt. 1615. Lib. III. sect. II. c. 1. p. 100.

5) Verae physices compend. novum ab HENR. NOLLIO. Steinfurti 1616.

ac similitudinis afferantur efficaciae argumenta. — Memoratu est dignum qua circumscriptione primi generis, herbarum humanas partes mentientium, auctoritatem contra quandam noster munit adversariorum dubitationem: „Limitate“, inquit, „canon hic intelligendus est: nimirum de omnibus et singulis plantis, quae in se habent temperiem puram nostraeque naturae convenientem, et manifesto veneno destitutam.“ Quare v. gr. (Aconitum) Napellus, „etsi cranium referat humanum, cum crasis absit pura, atque ipse vitam capiti comestus demoliatur, ad capitis morbos tollendos nihil confert, quando crudus, vel saltem vulgarem in modum praeparatus homini propinatur.“ — Efficacitatis similitudini inhaerentis causam atque modum his nobis tradit verbis: „Simile enim simili additum robur et vires auget, atque si opus fuerit, hostem ejus cui simile est viriliter exturbat“ (c. IX. p. 62).

Qualis ingenii alius fuerit signaturae scriptor Jos. FRANCKENIUS, cum praesto non esset ejus liber ⁶⁾, ex ipso ejusdem titulo aliquatenus patere mihi videtur.

Egregie ejusmodi conclusio ex titulo libri probatur lectione illius, quem Jo. POPPIUS scripsit ⁷⁾, in praefatione de semet ipso haec praedicans: „*Die weil ich nun von Jugend auf bis noch in signaturis herbarum beflissen und bemühet, habe ich nicht Umgang haben können, dasjenige Pfund, so mir Gott verliehen euch nicht zu vergraben, sondern dasselbe an Tag zu geben, und meinem Nächsten damit zu dienen, mir vorgenommen, und auch durch Beistand des Allmächtigen vollzogen;*“ atque in scripti fronte signorum ita explicans genituram: „*wobei der Mensch erkennen soll, wie gut es der liebe Gott mit dem menschlichen Geschlecht meine, das er ihm nicht allein die Kräuter gebe, zur Erhaltung ihrer Gesundheit, sondern das*

6) JOS. FRANCKENII, Westmani, *Signatur derer von Gott in der Natur gebildeten Gewächse, Kräuter und Wurzeln.* Rostock 1619. 8.

7) *Kräuterbuch, darinnen die Kräuter des Teutschen Landes, aus dem Liecht der Natur, nach rechter art der Signaturen der himmlischen Einfließung nicht allein beschrieben, auch darinnen angezeigt wird, unter wel-*

chem Planeten, unter welchem Zeichen Zodiaci, auch in welchem gradu ein jedes Kraut stehe, sondern auch, wie man nicht allein aufs den Signaturen erkennen kann, worzu ein jedes Kraut zu gebrauchen, und wie viel ein jedes Kraut Signaturen in sich habe, unterweisen; durch JOH. POPPEN, dieser Zeit F. S. u. B. bestellten Chymicum zu Coburg. Leipzig 1625.

er dieselbige gleichsam zu einem Ueberflufs durch die Natur zeichnen lasse, damit man ja erkennen möge, worzu dieselbigen zu gebrauchen sein möchten.“ Tradit autem nobis non novas quidem artis regulas, magnam vero exemplorum novorum copiam, stilo tam verboso, ut rosae v. gr. signatura octo tractetur paginis. Qualis in ejusmodi descriptione autoris sit modus, urticae elucebit signatura: „die Nessel hat ihre Signatur von dem sale urinae, weil es brennend ist, daraus wird erkannt, das sie für das Fieber dienstlichen sei, denn dieser Name kommt von der Hitze des Fiebers.“ „Die Nesseln haben auch noch andere Signaturen, als das die Blätter zerkerbet sein, wie eine Säge, diese Signatur zeigt an, das diese Kräuter für das Grimmen und Reissen im Leibe gut sein, gleich wie eine Säge alles zerreisst, also zerreisst die Darmgicht und die Colika den Leib, von wegen der übermächtigen Wehetagen. Die kleinen Staechellein unten an den Nesselblättern zeigen an, das sie das Stechen der Leber vertreiben, die kleinen Würmlein so an den Blättern hangen zeigen an, das dieser Saame oder die Wurzel gut sei vor die Würmer im Leib; die Wurzel von der Nessel ist schön gelb, daher führet sie auch die Gelbsucht aus; so findet man auch eine hitzige fremde Nessel, die voller Knoten und Beulen ist, dieselbige zeigt an, das die scharfen brennenden Nessel eine gute Arznei in sich haben, die Pestilenz zu vertreiben.“ (p. 9. 10. cf. 214—221 ubi eadem etiam uberius expuntur). Maximam vero explicandis sidereis signaturis autor impendit operam. Non omnes ex illius sententia herbae aperte illas prae se ferunt, in multis nonnisi dissectione reperiuntur „wie wir dessen ein Exempel haben an der grossen Farrenwurzel, wenn man dieselbige in dem Teutschland aufschneidet, so findet man einen Adler darin, so man sie aber in Frankreich ausgräbt, so findet man eine Lilien darinnen, und diefs ist eine königliche Wurzel, der Sonnen zugethan“ (p. 16). Praeterea non modo signorum zodiaci triplicitates cum herbis iisdem addictis quam diligentissime explicantur, sed alia etiam astrorum signa, imo singulae stellae fixae majores, herbis dotantur et lapidibus earum signaturam ferentibus.

CLAUD. DEODATUS cum Paracelso latiore notione artem intelligit signatoriam⁸⁾. „Per signaturas siqui-

8) Loc. cit. lib. I. c. 11.

dem omnes res conditae, coelum, astra, aër, aqua, terra, lapides, gemmae, mineralia quaevis, animalia, vegetabilia, imo omnia quae in magnae matris utero aut in superficie terrae aut sub coelo et in maris profundo nascuntur, e magno naturae libro, aspirante numine et lumine naturae, certis signis ac notis depictae, et exornatae, divinisque characterismis insignitae, certa scilicet proportione, figura, certisque habitus lineamentis cum medico loquuntur, eique sua arcana in abditissimo naturae silentio delitescunt per similitudines et analogismos aperiunt“ etc. (p. 91). At ipsam doctrinam, quae praestare res tantas fertur, non nimis laudat his verbis: „rerum signatura merito naturalis magiae fulcrum est et quasi primum elementum seu alphabetum.“ Nec inaniter glorioso insignit „vivae mejacosmi anatomiae“ nomine. — Neque vero tantum artis fines ita amplificat, sed signorum etiam a signatore respiciendorum numerum auget: „per quas (signaturas) non solum colores, odores, sapes, sed et virtuales potestates, sympathias, antipathias, seu magnetismos, lineas, characteres, notasve hieroglyphicas et naturae quasi quaedam sigilla audimus“ (p. 90). Quaerentibus nobis quibus argumentis comprobetur signaturae veritas respondet: „nil frustra facit natura“ (p. 91) et „natura non mentitur — nec decipit sui indagatorem medicum.“ (p. 93). — Ex magna onnis generis signaturarum copia a nostro tradita id memorasse sufficiat, quod lapis Aëtites parturientibus mulieribus commendatur: „praegnans enim lapis est, et cum quatitur alius lapis quasi in utero sonat“ (p. 97). Plane ut Paracelsistae veri Deodatus hujus disciplinae, qua jam Adamum atque Salomonem opinatur instructos fuisse, laude ita incenditur, ut postremo in verba cum divo citharaedo erumpat: „jubilate Domino omnis terra, cantate, exultate et plaudite, psallite Domino in cythara et voce psalmi, in tubis ductilibus et voce tubae corneae“ (p. 112).

Jo. TILEMANN singularem de signaturis scripsit dissertationem ⁹⁾.

Omnino tantam illis temporibus signatura invenerat fidem atque gloriam, ut clerici etiam ad pios sensus in Christianorum animis excitandos illis uterentur,

9) Jo. TILEMANN de signaturis herb. Marp. 1639. — Legendi mihi non erat facultas.

exemplo celeberrimi illius ARNDTII, qui quarto suo de religione vere Christiana libro ¹⁰⁾, ita de re nostra habet:

„Wer siehet nun nicht allhier unter dem Erdgewächse allein viel Tausend Zeichen der Liebe, Güte und Allmacht Gottes? Da hat Gott zugerüstet eine grosse Apotheke und ein gross Kräuterbuch, ganz wunderbarlich und vollkörnlich geschrieben; das ist ein lebendiges Buch, nicht wie man die Kräuter in Büchern beschreibet und als einen todten Schatten abmalet, sondern in Gottes Buch sind lebendige Buchstaben, welche alle Menschen gross und klein, gelehrt und ungelehrt vor Augen gestellet werden, allein dafs sie nicht von jedermann recht gelesen werden können, darum, dafs sie die schöne herrliche Signatur der Kräuter nicht kennen: dieselbe mus man zuvor wissen, so kann man diese herrliche, schöne, lebendige Buchstaben lesen und zusammensetzen. Bedenke allhier die Weisheit und Gütigkeit Gottes: du wirst an jedem Kräut- und Blümlein sonderliche Zeichen finden, welche sind die lebendige Haudschrift und Ueberschrift Gottes, damit ein jedes Kraut gezeichnet nach seiner verborgenen Kraft, so künstlich, so wunderbarlich, so zierlich, dafs kein Künstler wird so eigentlich nachmalen können. Ja, mit der äusserlichen Form und proportion zeigen sie oft an ihre verborgene Kraft. Denn eins hat die Gestalt eines Haupts, ein andres die Gestalt und Signatur der Augen, das dritte der Zähne, das vierte der Zungen, das fünfte der Hände und Füfse, das sechste des Herzens, der Leber, der Blasen, der Nieren, der Wunden und dergl. Sobald du auf einen grünen Rasen trittst, so hast du unter deinen Füfsen deine Speise und Arznei. Denn in dem allgeringsten Gräslein und Sämlein, welches du gar gering und unnütz achtet, ist grössere Weisheit Gottes, Kraft und Wirkung als du ergründen kannst. Darumb siehe zu, dafs du Gott in seinen Werken nicht verachtet. Ich sage dir, es ist der tausende Theil der Kräuter Kraft noch nie ergründet.“

Nec magis tamen defuerunt eodem tempore, qui aut defendendo novisque argumentis suffulciendo haereditariam Galeni doctrinam, aut recto impetu novae disciplinae se praeberent adversarios.

10) Vier Bücher vom wahren ten Herrn JOH. ARNDTEN. Lüne-
Christenthumb des hocherleuchte- burg 1638. IV. Buch, p. 33. 34.

Jo. FERNELIUS quartas illas Galeni facultates non occultas sed vel „formae“ vel „totius substantiae proprietates“ vult appellari, multoque majorem quam antecessores ipsis tribuit vim atque ambitum, ad quas tum etiam maxime sit recurrendum, quando olim primarum qualitatum potentia omnia viderentur explicari, quae sita ipsarum „naturalis indole“ in „spiritu“ quodam vitali „coelestique calore“, quae formae sint congenitae ¹¹⁾.

HIERON. MERCURIALIS ex colore, odore et sapore medicamentorum facultates cognoscere docet ¹²⁾, minore tamen colori tributa fide (p. 77 seq.), superaddita aliqua notitia ex loci, regionis, temporis et operationum naturalium respectu prodeunte (p. 121 sq.). Aperiuntur autem ei his auxiliis tria illa „manifestarum facultatum“ Galenicarum genera, quartarum vero sive occultarum nisi experientia nulla datur cognitio (p. 56).

REMB. DODONAEUS explicatis iis, quae sumi solebant medicamentorum quatuor facultatibus: primis ab ipsis elementis nihilo interveniente provenientibus, secundis ex illis proxime consequentibus, tertiis ex priorum mixtura proficiscentibus, quartis denique valde dissimilibus nec ex ulla superiorum pendentibus, ipsius potius „substantiae sive essentiae proprietatem“ consequentibus ideoque „occultis et specificis“, saporem constituit atque odorem quorum ope recte judicari de illis possit. Indicia vero ex „characterismis sive signationibus seu signaturis“ deprompta, quae multum in judicandis maxime quartis illis facultatibus valere nonnulli recentiorum autument, dubia habet et incerta, utpote quae non modo probatorum inter veteres scriptorum autoritate careant, etiamsi non omnino defuerint qui quandoque signationum rationem ac considerationem habuerint, praecipue tamen sectatores fuerint Aegyptiorum et aliorum praestigiatorum, viribus etiam experientia probatis saepenumero prorsus repugnant multo exemplorum, quae adest, testimonio, ita ut fortuito casui sit tribuendum, quandoque vires respondeant signaturis, nec unquam ex iis tuto aut certo facultates cognoscantur ¹³⁾.

11) Jo. FERNELII Ambiani de compositione medicament. tract. abdit. rer. caus. lib. II. Ed. postr. Francof. 1591.
Francof. 1575.

13) Loc. cit. pempt. I. lib. I.

12) HIERON. MERCURIALIS de c. 11.

THOM. ERASTUS, inter vehementes vehementissimus et gravissimus Paracelsi adversarius, occultorum seu specificorum medicaminum potestatum perfectam notitiam nisi experientia pervestigari non posse quinta sua disputatione contendit ¹⁴).

DUNC. LIDDELIUS easdem statuit quartas illas facultates, „immediate a tota substantia“ manantes, earum cognoscendarum vero solam admittit experientiae viam, tum in tribus prioribus facultatibus juxta experientiam et ratiocinationi datur locus, ex primarum qualitatum manifestis effectibus ipsa medicaminum „temperamenta“ assecuturæ ¹⁵).

ANDR. LIBAVIUS, chymiae strenuus cultor, libro suo, quo scholam medicorum Parisiensem (quae a magistratu legem turpiter ac probrose petendo capite eos damnantem, quicumque remediis in sanandis morbis uterentur „non ordinariis“, i. e. Galeni omniscientis auctoritate non sacratis, de semet ipsa tulit iudicium), fortemque Galeni apologetam Riolanum, modo eximie scholastico, optimoque secundae classis discipulo digno, egregiorum syllogismorum acie impugnat, Paracelsum quoque, signaturae patrem, oblique carpit, quippe qui nimis longe a recta planaue laudabilis logicae via aberret, quin etiam, quis putet! allegorice res tractet gravissimas. Exsculpi quidem nonnihil e rerum signaturis, nil tamen certi, neque v. c. Nucem moschatam ideo conferre capiti quia habeat capitis formam, *cum deprehensum sit eandem aliquando delirium excitasse (!)*, nec quae caput juvent capitis semper habere signa, rem igitur esse fortuitam, si quando res externis respondeant formis ¹⁶). Alioque loco ¹⁷): „Totum, inquit, fundamentum istud supectum mihi est incertitudinis et vertant sese in omnia rerum miracula hujus opinionis fautores nihil scientificum sed pleraque fortuita inveniunt.“

Singulari opere artem signatoriam invasit Jo. FORGET ¹⁸).

14) THOM. ERASTI Disput. et epist. medicinal. Tiguri 1595. — Cf. ejusd. lib. de occult. medic. potestat. c. 51. p. 91.

15) Disp. medic. de natur. et facult. medicament. praes. DUNC. LIDDELIO Scoto def. HENR. LOSS. Helmst. 1601. §. 86. 87.

16) Alchymia triumphans de injusta in se collegii Galenici spurii in academia Parisiensi censura studio ANDR. LIBAVI. Francofurti 1607. p. 537.

17) Ejusd. epist. chym. lib. III. epist. 4.

18) Artis signatae designata

SIM. PAULI signaturam „flocci facit“¹⁹⁾, atque: „saepe, inquit, magnos viros magnas nugas tractare novum non est; maxime vero nugari illi botanographorum videntur, qui ex solis signaturis, non vero experientia et ratione adhibita qualitates herbarum venantur.“ Neque v. c. ob signaturam a Porta descriptam Scabiosam squamosos cutis morbos delere, sed quia amara sit, calida et sicca. „Etenim si squamosa signatura his cutis vitiiis curandis confert, certum erit Dentariae herbae radicem, cujus radix quanta quanta nisi squama est, panaceam esse omnium cutis vitiorum; imo Limodorum quoque idem quod Succisa ob modo dictam signaturam praestabit. Ast quis vel fando accepit, vel Dentariam, vel Limodorum alphas, impetiginis etc. delere?“


Fuerunt, et alii, qui neque Galenum deserere nec Paracelsum confutare conati, omnem laborem omneque studium in eo posuerunt, ut quae maxime iis placerent ex unius alteriusve decretis eligerent atque conflarent, conciliatores a novam et antiquam doctrinam conciliando cum quadam excellentia nominati. In quibus prae primis commemorandus est DAN. SENNERTUS semper ille, quantum in eo fuit, arbiter concordiae. Octavo decimo placabilissimi sui libri²⁰⁾ capite, praemissa signaturae notione, qualis a „Chymicis“ proponatur, conspectum nobis proponit herbarum primo planetarum, deinde humorum, tum membrorum humani corporis signaturam ferentium, denique morborum imagines referentium (p. 325 sq.), adjectis postremo nonnullis animalium signaturis. „Quae omnia, pergit, rejicienda non existimo.“ Contra Libavium autem contendit figuras externas plantis non fortuito obtigisse, sed a facultate formatrice, quae hanc vim ab ipso Deo summo acceperit, impressas esse. „Etsi vero quid pleraeque figurae et colores plantarum indigent, et quo fine a sapientissimo creatore iis inditae sint nobis ignotum est, tamen cum experientia testatur in multis externas figuras virium internarum indices esse, eas non plane repudiemus, sed suos inter reliquos faculta-

fallacia. Nanc. 1633. 12. Frustra ut ipsum acquirerem operam studiumque impendi.

19) SIM. PAULI Quadripartit. botanic. cur. Jo. JAC. FICCIO. Francof. a. M. 1708. ed. prim.

Rostoch. 1639. Class. III. p. 410. Cl. eod. p. 445.

20) De Chymicorum cum Aristotelicis et Galenicis consensu ac dissensu aut. DAN. SENNERTO ed. III. Francof. et Witteb. 1655.



tes medicamentorum investigandi modos, locus signaturis relinquatur.“ — „Delectus, ait, habendus; in quibusdam signatura est manifestior, quam in aliis et quarundam vires magis perspectae quam aliarum; neque etiam huic signo soli, vel ut primario fidendum, sed experientia imprimis consulenda est.“ — Atque: „Neque illud quoque de nihilo est, quod singulis planetis peculiare plantas subjiciunt. Experientia enim testatur coelum in haec inferiora agere non solum calore et lumine sed et occulta influentia. Ac cum stellae quaelibet peculiare vires habeant, hinc accidit ut aliae cum aliis rebus sublunaribus majorem sympathiam habeant.“ Angustioribus etiam signaturae usum coërcet finibus verbis sequentibus: „in multis fallunt nisi experientia jungatur. Imo experientia saepe sola sufficit. Si tamen id quod experientia inventum est ratione comprobari potest, id longe certissimum est. Verum ubi ratio adversari videtur experientiae, potius experientiae adhaerendum“²¹⁾.

Simile JOANNIS SCHROEDERI fuit consilium, medicis enim rerum facultatibus consueto modo distinctis, „qualitates primae, inquit²²⁾, cognoscuntur: 1^o ex sapore, 2^o ex odore, 3^o ex colore, 4^o ex qualitatibus tactilibus, 5^o ex dispositione seu mutabilitate, 6^o ab aetate, 7^o a loco natali, 8^o ab operationibus, 9^o experientia. — Qualitates secundae cognoscuntur e datis qualitatibus primis.“ „Facultates occultiores ex similitudine imprimis conjecturantur, hinc experientia confirmantur“ (p. 96). Signaturae species sive regulas easdem fere quas Porta exhibet. — In ipsa medicamentorum enumeratione calorem et frigus, siccitatem et humorem praecipue respicit Schroederus, rarissima (ut in Adianto p. 526 et Satyrio p. 675) signaturae facta mentione.

Dum ita tentarunt Galenicorum factionem, hostem velut natam, Paracelsi reconciliare doctrinae, novum eadem, eumque gravissimum signaturae adversarium ex suo sibi peperit gremio. JO. BAPTISTA AB HELMONT, verus veri Paracelsiani ingenii haeres, scientiam signatam sive anatomiam essatam nil nisi nova nomina titulosque grandiloquos appellat²³⁾. „Ego, inquit, de fide

21) Ejusd. Instit. med. lib. V. part. I. sect. I. c. 22.

22) Pharmacopoeia medicochymica sive thesaurus pharma-

cologicus aut. Jo. SCHROEDERO. Ed. ultima Lugd. Batav. 1672.

L b. I. c. 39. p. 93.

23) Loc. supr. cit. p. 436. 437.

credo hominem non naturae et ideo vicissim naturam non hominis esse simulacrum, icona aut sculptrum.“ — „Quid cum pleuritide cognationis chiromanticae habet dens apri, sanguis hirci, virga tauri, fimus equi vel herba Bellis? Aut quam habent invicem signaturam ista simplicia? *Laudo equidem Dominum, qui omnia antequam morbi essent ad sui gloriam primario creavit: neque simplicia notavit propter futuras a contingente morbos, sed ad decorem universi, unde honos domino scilicet. Obrisi itaque etc.*“ Non minus irridet iis, qui immensum catalogum morborum in signa zodiaci, cujus cum numerus nimis angustus esset, unumquodque signorum in triplicem sectionem ampliarent. „Proprietas, ait, herbarum tota a semine est, et vis seminativa a terra desumitur secundum Sacra, non autem a faciebus luminum coeli. — Apage cum nugis istis.“ „Plus studendum,“ videtur ipsi, „circa inquisitionem virtutum quam ad disputandum quaelibet problemata.“

Tantopere sollicitatae arti signatoriae eodem fere tempore novus exstitit patronus, isque eo gravior quo magis altiore potius mentis afflatu, quam speciosis nugis inspiratus, signaturae laudes altisonis verbis cecinit. ATHANASIVS enimvero KIRCHERUS, decimo Musurgiae suae libro ²⁴); demonstrare conatur naturam rerum ubique ad musicas et harmonicas proportionales respexisse, atque adeo naturam universam nil aliud nisi musicam perfectissimam esse, ita ut Deus omnipotens organoedo, mundus vero comparetur organo, cujus singulae regulae („registra“) variis et quatuor elementorum, et coelorum, et lapidum, plantarum, animaliumque cum coelo, rerum denique omnium symphoniis sint dicatae. Fieri itaque non posse, quin imprimis homini non modo cum planetis sed omnino omni materia mundana, utpote in solius hominis gratiam condita, suavissimus sit concentus (p. 397), habeantque omnia ejus membra extrinsecus res quasdam consonas, cardiaca cor, splenitica splen, cephalica cerebrum etc., quibus nutriantur atque corroborentur. Donec vero panacea inveniatur toti corpori consona, bono medico id imprimis agendum esse, ut membri morbo affecti consonum inveniatur medicamentum. Sicut enim

24) ATHANAS. KIRCHERI Musurgia universalis sive ars magna consoni et dissoni. In X. libr. digesta Rom. 1650. Tom. II.

chorda chordam moveat similiter tensam, ita quamlibet rem, e quolibet naturae regno depromptam, partem sui consonam vel ad boni attractionem, vel ad mali repulsionem concitare (p. 398), aegrotaeque sive cum corpore dissonae succurrentem harmoniam pristinam restituere (p. 411), atque, quo majorem cum parte consona habuerit affinitatem, eo potentius ipsam corroboraturam esse, sicut in musica, quo concentus viciniore unisono, tanto perfectiores evadere (p. 399). Cognoscitur autem, Kircheri auctore, ejusmodi harmonia similitudinis „characterismo et signatura“, i. e. forma, figura, colore, vel simili corporis habitu (p. 398)²⁵⁾, quae deesse non possunt cum homo post reliqua factus sit, ut summus rerum creator in ipso „sub brevi quodam compendio“, quidquid diffuse ante fecerat, exprimeret (p. 401). Haud secus „characterismis“ morbos signantibus ad quid quodlibet conducat per occultam mundorum harmoniam certiores reddimur (p. 403). Praestantissima vires suas salutare signatoria membrorum imitatione prudentia medicamina singulari quadam icone autor nobis proponit: positam enim in medio viri imaginem, non modo externas, sed apertis abdominis pectorisque cavis et internas corporis humani partes praecipuas ostendentem, circulis cingit duobus, propiori duodecim Zodiaci signa, remotioris viginti loculis nomina inscribens herbarum, ductis exinde lineis, eas effigiei humani partes petentibus, quarum signaturas illa ferant. Praeterea ab imaginis lateribus et dextrorsum et sinistrorsum planetarum signa scalari modo ascendunt, explicatu difficiliora (p. 402)²⁶⁾. — Id etiam Kircherus habet proprii, ut non modo corpus sed animam quoque hominis universum macrocosmum referre contendat, respondente animae facultate vegetativa plantis, sensitiva et motiva animalibus, rationali angelis atque Deo; qua in re id modo dolendum est, quod tantae gravitatis placitum sequente deformatur explanatione, qua calvaria terrae, dura mater aquae, pia mater aëris, cerebrum ipsum ignis elemento, alia aliis magis etiam absurde comparantur (p. 403).

Omnis autem haec mundi hominisque tamquam musici opificii contemplatio, quam nil nisi sublimis ex-

25) Cf. Mund. subt. libr. IV. sect. 2. propos. 3. p. 217. Et Art. magnet. p. 722.

26) Eandem iconem invenies in Oedip. Aegypt. Tom. II. p. II. p. 358.

celso viro fuerit imago, qua sententiam sublimem aequalibus traderet, ipsa cui implicitus fuit rerum naturae cognitionis infantia clariorem non patiente expositionem, et alio elucet loco, quo mutatis signis, nec minus vero *συμβολικῶς*, uti omnes et terrestres et coelestes actiones ex attractionis atque repulsionis, sive, sublimiorum verborum expressione: amoris et odii vicissitudine explicare autor conatur, corporis etiam animalis, singulorumque ejus membrorum nutritionem ad peculiarem materiae partium, singulis quibusque amicarum, attractionem refert, exemplum secutus Paracelsi; magnaue laude effert illam „reconditiorem“ medicinae partem, inde profectam, quae signaturas rerum naturalium cum humani corporis membris conferendo, et similia similibus „magneticæ“ applicando, prodigiosos in hominis conservanda valetudine producat effectus; de signorum speciebus et membra et morbos et stellas indicantibus, et ex materiae et ex actionum conditione petendis, eadem fere afferens, quae jam a Porta erant proposita, adjunctis regulis novis, non minus aetatis suae notam prae se ferentibus. Jussit enim animalium membra consimilibus humanis conferre praesertim si animalia virtutem habuerint morbo membri contrariam; res omnes, quarum vel decoctio, vel infusio liquorem praebet et colore, et firmitatis gradu („consistentia“) alicui corporis nostri humori similem, easdem aptas esse ad evacuandum illum per attractionem et augendum per emendationem („incorruptionem“); morbos venenosos propriis plerumque sanari antidotis, sic aranearum morsus impositis araneis, apum aculeos melle, similia similibus²⁷⁾.

In judicandis talis efficaciae causis neque ad elementares Galenicorum qualitates confugiendum esse docet, neque, uti quis e supra dictis, sumpto pro re signo, perperam colligat, ad physicae attractionis et repulsionis vicissitudinem nos remittit, sed subtiliorem quandam, materia magis destitutam admittit naturam, animam tamquam et herbarum et lapidum, e cujus potestate ipsorum fluat efficacitas²⁸⁾, probans hac ratione mere Paracelsianam ingenii sui indolem. Quam parum valeat trita illa, multisque laudata Galenicorum ratio in explicandis venenorum v. gr. viribus sequenti

27) Art. magnet. Tom. II. p. 721 seq.

28) L. I. p. 723.

demonstrat exemplo: „si Napellus aut Aconitum occidit quia frigidissimum est, cur non occidunt multa alia Napello Aconitoque frigidiora ut glacies, nix, aut virtuali frigore Nymphaea, Camphora similiaque? — Quod venena vitae adversantur, non id manifestis sed specificis qualitatibus, sphaerarumque, quibus diffunduntur, repugnantium conditioni, dum videlicet similia ob commodum se amant, dissimilia ob incommodum, quod ex mutua conjunctione recipiunt, se fugiunt, adscribi debet.“ —

Non tam jucunde et ingeniose RHUMELIUS desipuit ²⁹⁾, qui transscriptis fere, nec fere modo, saepissime Paracelsi, ingenio prorsus disparis, verbis, et Galenicis impugnat, et de microcosmica hominis natura, et de similia similibus curandi necessitate disputat, et signaturae, quam et physiognomiam appellat botanicam, praedicat laudes. „Das semen Santonici, vir ait doctissimus, ut aliquod et iugenii et orationis afferamus specimen, das Semen Santonici heilet den Stein und Gries, wenn es getrunken wird, denn sein signatur ist wie Sand gebildet, daher stellet sich's an sein Ort, dahin seine Form gehört, als in der Bildnuss des spiritus einer jeden Arznei seind allein die Arcana und Magnalia Medicinae, und darinnen allein liegt die vera cura, dahero vor allen Dingen solche Bildnuss per magiam sollen gesucht werden, und die Analogiam solcher medicamenten gelernet. Denn darinnen liegt allein der Grund aller Kuren, und nicht in vielen componirn auch nicht in correctionibus per additiones, denn alle Ding seind von der Natur am besten componirt in ein formam spiritualem. Die wird kein Doctor mit seinem componiren und corrigiren besser machen als sie von der Natur gemacht ist.“ — Centum circiter ab eodem nobis exhibentur descriptiones plantarum, et humanarum partium et morborum signaturam ferentium, de quibus asserit sub finem: „Dieses seind die Kräuter, so am nützlichsten und kräftigsten in der Experiencz erfunden werden, denn man sich nicht auf die Menge der Kräuter verlassen soll, sondern auf den Nutzen und Erfahrung.“ Nonnulla legantur acuminis ejusdem documenta: „Borrago, Boretsch.

29) Medicina spagyrica, oder spagyrische Arzneikunst, erstlich von JOH. PHAR. RHUMELIO stückweis an Tag geben, jetzo aber

mit Hinzuthuung Pharmacopoeae chymicae und herbarii hermetici zusammengelesen und in gewisse Ordnung gebracht. Frankf. 1648.

Dies Blümlein hat 5 Spitzen, und dienet die 5 Sinn kräftiglich zu stärken, alle Melancholei zu vertreiben.“

— „*Angelica. Englisch Distel. Hat die signatur der Adern, daher es das Gift aus allen Adern austreibt.*“

— „*Violen haben die Signaturam ♀, daher dienen solche wider alle Venerische affectus, d. i. wider allen Nieren affectus.*“ — — —

Jo. VESLINGIUS etsi non recta via, auxit tamen signaturae auctoritatem accurata, et per omnes partes deducta, affinitatis inter plantarum et humanam naturam demonstratione ³⁰).

Qui proxime sequuntur minus acriter nec ab omnibus partibus defenderunt signaturam, sed nonnisi cum moderatione quadam et circumscriptione.

WOLFG. AMBROS. FABRICIUS arbitratur quidem ab initio affirmari posse, quae peti soleant ab odoribus, saporibus, magnitudine ac proportione, praecipue vero a coloribus et figuris, rerum signaturas non frustra et fortuito obtingere, sed vires virtutesque signatorum quadamtenus patefacere atque commonstrare, eamque sententiam etiam exemplis illustrat ³¹), sed rite perpensis, quae a „Chymicis“ ad probandam, ad negandam signaturae veritatem a Galenicis proferuntur, argumentis, exhibitisque duabus indicibus potiores plantarum signaturas et secundum humores „elementares“, et secundum singula corporis humani membra reddentibus (p. 7—11), eatenus Galenicis adstipulatur ut pariter atque illi fieri posse neget, ut ex signaturis plantarum vires sive facultates perfecte cognoscantur (p. 21), in eo vero Sennertum sequitur, ut non omnem signaturae deroget fidem, sed inter reliquos stirpium potestates indagandi modos eam censet esse collocandam, nec casui similitudines tribuendas, „cum ab eadem facultate formatrice externa forma et figura rei producat, a qua interna ejus essentia omnesque proprietates dependeant“ (p. 22). — Quod ad artis antiquitatem attinet a multis defensam, noster affirmat frustra se quaesivisse in veterum scriptis, quod probet illam antiquitatem; eorundemque chymicorum opinionem: ipsum generis humani avum Adamum signaturarum scientia edoctum cunctis animalibus terrae, cunctisque coeli volatilibus, et piscibus maris nomina imposuisse, Fabricius, dux fortissimi gravissimorum patrum

30) Jo. VESLINGII Mindani Patavii 1644. Comment. I. raeneses ad rem herbariam. Pa-

31) Libr. supr. cit.

ecclesiasticorum phalangis, ab ipso excitatae, maxima cum s everitate ardentique studio audet aggredi, in pisces praesertim tela sua dirigens, utpote quorum grandiores neque ipsis quatuor Paradisi fluminibus capi, neque vivi per aridam adduci et coram Adamo stare potuerint!!! (p. 24—29). Sub finem libelli icones nobis exhibet plantarum non paucarum, quae corporis humani partium similitudines ostendant.

Majore etiam jure in conciliatoribus habeas GUERNERUM ROLFINCIUM³²⁾, qui, cum „antesignanum locum“ tribuat experientiae (p. 199), ita tamen, ut, quae ratione inveniantur, sensu et experientia stabiliri oportere, eorum, quae experientia inventa sint, rationem quaerendam esse censeat, a Galeno „qualitates elementares“ recepit, gradus rejecit, quasi res incertas nullisque firmis inclusas regulis, admisitque gustum, odorem et colorem tamquam rationis adminicula, quorum beneficio plantarum facultates optime pernoscere possimus. Paracelsicis concedit, non postremum in plantarum facultatibus designandis locum sibi vindicare signaturam (p. 205). Ita examinatis, quae pro illa sustentanda atque contra eandem sunt dicta, haec nobis suadet: „Media via est tutissima.“ „Non infallibiliter, nec omni tempore, sed ex parte tantum et quandoque significant. In totum non sunt rejicienda ex numero modorum, quibus plantarum facultates indagantur“ (p. 210). — Quae autem vulgo pro signaturis in medium produci solent argumenta, futilia habet et facillime labefactanda, illis praecipue contradicens, qui summam signaturae causam in provida Dei pro hominum salute inveniunt cura: „*aliam ob causam fictae sunt atque concessae. Illae sunt materiae necessitas, formatricis virtutis conditio, ipsarum commoditas, coeli constitutio, et terrae in qua nascuntur proprietates. — Ornatus universi primarius: hominis utilitas secundarius est usus.*“ — Qualis in ipsa medendi arte a nostro habitus sit signaturae usus atque respectus: herbarum pungentium³³⁾, cephalicarum³⁴⁾, et Perfoliatae³⁵⁾ commendationes demonstrant.

32) GUERN. ROLFINCII de vegetabilibus libr. II. Jenae 1670. Lib. II. sect. 8. c. 1—7.

33) GUERN. ROLFINCII Consilia medic. Jenae 1669. Lib. V. cons. III. p. 566. et ejusd. Epit. methodi cognoscendi et curandi

particul. corpor. affect. ed. II. cur. a GEORG. WOLFG. WEDEL. Jenae 1675. Lib. II. pars I. c. 3. p. 132.

34) Libr. prox. laud. lib. I. p. I. c. 16. p. 64.

35) Lib. III. c. 26. p. 376.

Magis absolutum signaturae defensorem se praebuit SEBAST. WIRDIGIUS, qui medicamenta requirit „specifica“³⁶⁾. Talia vero ut plurimum esse „signata“ contendit, nonnullaque eorum recenset, ut, „quomodo ex ipsa natura discenda sit et eruenda medicina, quodammodo discant tirones“ (p. 164). Nos autem ex eorum quae sequuntur copia in majorem partem nota id modo afferamus: pulchritudinis et nitoris signaturam argentum vivum, fabas, nivem, herniae Perfoliatam, exanthematum lentes habere dici. Id habet proprii Wirdigius, quod nascentem ex forma coloreve cognitionem cum quadam eminentia nominet signaturam, adjungens illi „ex rerum phantasiis, impressionibus, indole, natura, actionibus, facultatibus, qualitibus et affectionibus specificis“ intelligentiam (p. 167). Sed ex multis quae huc pertinent duntaxat duo proferam exempla: „Aranea phantasiam habet horroris, trepidationis, vibrationis, hinc extra contra horrores febri- les applicatur.“ — „Cancer phantasiam habet retrogradationis, hinc sistit hydrophobiam, gangraenam, quo minus ulterius serpat“ (p. 168). — Ita certam et infallibilem inveniri medicinam, longe quidem certio- rem, verio- rem et utilio- rem quam illa „sermocinalis“ ex libris desumta, ratiociniis collecta, vel „distin- tiunculis“ proposita (p. 169). —

Jam vero novi exstiterunt artis nostrae contem- to- res, e quibus maximam illius refutationi operam im- pendit MICH. HEILANDIUS: copiosius enim explicata signaturae disciplina³⁷⁾: „optanda magis“, pergit, „quam speranda facilis adeo via perveniendi in ab- sconditos rerum naturalium recessus, et cognoscendi latentes herbarum virtutes“, indeque in ipsam descen- dit arenam. Ut vero, „quo in campo, quibus armis, quo ordine et qua spe pugnatum sit tunc temporis, aliquo modo eluceat, quibus, quam fallax sit et incer- tum iudicium in signaturis fundatum, probet, argumen- ta breviter referemus: 1^o. signatura nulla firmatur Ve- terum auctoritate, quidquid hac de re in medium pro- fertur vix unius vel alterius hominis aetatem sapit. *Suspecta vero sunt quaecunque a Veterum placitis aberrantia de novo traduntur.*

2^o. Fontium obstat magna diversitas. In una ea-

36) SEBAST. WIRDIG nova me- Lib. II. c. 19. p. 163.
dicina spirituum. Hamburgi 1673.

37) Loc. supr. cit.

demque planta tantus reperitur signorum numerus, qui affectionum qualitatumque, quibus illa gaudet, paucitatem non modo aliquoties superet, verum etiam signatorum ratione signa ista quandoque inter se pugnent. Neminem vero hanc difficultatem huc usque removisse contendit. (Portae oblitus.)

3^o. Concessa vero unius cujusdam signi prae ceteris praestantia, veluti coloris: colorum causae aliae sunt quam efficaciae; ejusdem coloris plantae diversis gaudent viribus. Figurae potius: figurae tunc oriuntur cum terminatur extensa materia, nonnisi igitur materiei habitudinem si quicquam testari possunt. At materia ut talis omnis agendi potentiae experta est, quippe cujus tantum est pati „*juxta Aristotelem*“ (!) Ista in figura convenientia non ad unum certum quid terminatur, sed in pluribus partibus observanda venit: non deerit contradictio.

4^o. Idem morbus pro diversis ejusdem causis diversas postulat curationes. Fieri id non potest, si in eo consistimus, ut eandem plantam ei morbo opponamus cujus similitudinem refert.

5^o. Spectantibus signaturas a congruentia cum parte affecta petitas considerandum est, unum idemque membrum variis iisque diversissimis affectibus esse obnoxium.

6^o. Non minus incerta et lubrica signa sunt desumpta a similitudine membri cujusdam animalis, medicamentum homini conferentis, quod et specie diversorum brutorum membra pleraque in figura convenient, et plantae non illorum modo partium, quas figura exprimunt, sed aliarum quoque, quin et excrementorum vires obtinere debeant.

7^o. Plantarum partes suas qualitates internas non semper propriis, sed alienis quandoque, aliarum videlicet istius plantae partium signaturis ostendunt. Verum si tantum commodum ex signaturis in genus humanum redundare benigna natura voluisset, profecto illam ipsam partem convenientibus suarum qualitatum notis exornasset.

8^o. Similitudo interdum non in re ipsa sed in sola hominis sic opinantis imaginatione habet fundamentum.

Quod ab artis signatae fautoribus proponitur: naturam nil frustra facere, auctor nonnisi magno locorum ex veterum medicorum scriptis collatorum apparatu evertere studet. Ex hominum animaliumque phy-

siognomia argumentationem recte dicit invalidam esse, quippe quod istic de rebus singulis et individuis agatur, mores inquirantur non hominis in universum, neque equi, bovis, sed Petri, Pauli, hujus equi, illius bovis, hic vero de generibus; istic absolutum aliquid sit objectum contemplationi, hic contra ad hominem relatum. — Exempla denique affert plantarum et signis virtute non probatis, et viribus non signatis gaudentium.

ADRIANUS SPIGELIUS de rerum et manifestis et occultis qualitatibus, et de experientia, et sapore et odore virium inventoribus ita habet³⁸⁾, ut ipsum GALENUM audire putes; sed quam frivola atque inutilis doctrina sit eorum, qui formae externae contemplatione facultates occultas cognosci asseverent, facile iis patere, ait, qui rationes considerare ac investigare cupiant.

HERM. CONRINGIUS, quem doctissimum aetatis illius medicum non immerito nomines, hortatur quidem ut ne nimis Galeni de electione medicamentorum simplicium placitis confidamus, multo magis vero spernendam atque frivolam illam habet de viribus ex figura et colore divinandi rationem, quam Paracelsistae sequantur³⁹⁾. „Innumera“, inquit⁴⁰⁾ probatque exemplis sententiam, „innumera neque colore neque figura conveniunt cum partibus corporis quibus medentur; ex adverso conveniunt, quae mederi non possunt.“ Atque: „Inanis argumentatio: si figura illa et colores non sunt institutae ad vires illas significandas frustra esse a natura conditas. *Quemadmodum videlicet stirpes ipsae, quantae quantae sunt, corpora sunt naturalia, in orbis totius complementum primario, in hominis autem usum non nisi secundario et ex parte condita: ita et colores suos et figuras eadem stirpes acceperunt non tam humanum in usum quam proprii finis gratia.*“

OLAUS BORRICHIUS contra, medicus eximie philologus, medicinae Aegyptiacae prae Graeca atque Paracelsi contra Conringii contumelias strenuus defensor, signaturae quoque rerum naturalium patrocinium suscipit: „Esto, ait, non videantur respondere eventui figu-

38) ADRIAN. SPIGELII Isagoges in rem herbarium libr. II. ed. prior. correct. Helmstad. 1667. Lib. II. c. 6.

39) HERM. CONRINGII in univers. artem medic. singulasque

ejus partes introductio, ed. auct. a GUNTHERO CHR. SCHELLHAMMERO. Helmst. 1687.

40) Ejusd. de hermetic. medicina libr. II. ed. II. Helmst. 1669. p. 274.

rae omnes, certe ignaviae, si verum fateri libet, humanae est, non accuratius adhuc inquisivisse, nequam signaturae divinae, quam nihil otiose praeformasse existimandum⁴¹⁾.

Nec manifesto CONRINGII aliorumque obtreptione signaturae aestimationem esse minutam, cum aliunde, tum eo docemur, quod, qui paucis annis post Solani furiosi (Belladonnae) et perniciosas et salutare vires singulari libro promulgavit JOANNES MATTH. FABER, quamvis maxima observationum copia probaretur, fusio-rem, atque quae legi meretur, plantae suae signaturam adjicere non neglexit, quippe qua ipsius experientiae augeatur autoritas⁴²⁾.

Qualis vero illa aetate plerumque fuerit non signaturae modo, sed omnino naturae investigationis indoles et finis, satis testari videtur libellus quidem a Jo. JAC. LUNGERSHAUSEN de „imitamentis naturae circa figuras“ illo tempore conscriptus⁴³⁾, quo cum omnes, quae in rebus naturalibus inveniuntur similitudines atque emulationes et lapidum vel casu vel ex petrefactione aliorum rerum effigiem reddentium, et metallorum vegetabilem crescentiam imitantium, et nubium aliorumque et aqueorumque et igneorum prodigiorum, et animalium monstrorum promiscue tractantur, tum plantarum etiam simulacra animalia eorumve et humanas partes referentia non sunt praetermissa, tamquam usum ejusdem plantae commonstrantia, et ad benignitatem creatoris admirandam nos deducunt.

ISRAEL HIEBNERUS signaturam inprimis consulit ad investigandas, quibus singulas plantas subjiceret, planetas. Ejus praecepta ita fere sonant: „*Johannes und Saurach-Beerlein. Seind roth an der Farbe und dem Jovi und Marti unterworfen, daher sie an so stachelichten Dornen, und das dieselbe den Martem mit ihrer Signatur repraesentiren, zuwachsen pflegen*“⁴⁴⁾.

41) Hermetis - Aegyptiorum et Chemicorum sapientia ab Herm. CONRINGII animadversionibus vindicata per OLAUM BORRICHIIUM. Hafniae 1674. p. 381.

42) Strychnomania, quam memoriae, cautelae, medelae gr. publico bono dedicat Jo. MATTH. FABER, August. Vindelicoe. 1677. p. 59. 60.

43) Lib. supr. cit. p. 16—20.

44) *Mysterium Sigillorum, Herbarum et Lapidum, oder: Vollkommene Kur und Heilung aller Krankheiten, Schäden und Leibes-, auch Gemüths-Beschwerden durch unterschiedliche Mittel ohne Einnehmung der Arznei. Mit beigegefügtten Figuren und Kupferstücken, auch ganzem Grund dieses Astronomisch- und Himmelschen Processus. Durch Isa.*

— Inveniuntur tamen et alii signaturae usus ut loco sequente: „*Flachsseide wächst gerne an fetten Stätten, ist dem Saturno und Jovi unterworfen, seine Signatur zeigt an, dafs es den verstopften Kraefsaederlein nicht undienstlichen*“ (p. 69).

Ultimus, quem invenimus libellum ⁴⁵⁾ de signatura singulariter conscriptum, RUD. GUIL. CRAUSII est, professoris Jenensis. In fronte statim exposita sunt totius rei quasi fundamenta: „Deus et natura nil faciunt frustra“, et: „quod est physiognomoniam in homine est signatura in plantis“. Praemissae humani corporis plantarumque structurae comparationi, in qua maximam et egregiam non satis mirari possis similitudinem, signaturae sequitur notio his verbis expressa: „signatura est latentium virtutum indicium a Deo in prima creatione plantis inscriptum“ (p. 9). Singulae porro humanis partibus inde a capite ad pedes usque arcescit plantas, quarum signaturae sint „verae cum experientia concurrentes“, quod medicorum clarissimorum, ipso usu de illarum plantarum utilitate edoctorum, probat autoritate, additis et morborum ipsorum quibusdam signaturis. De abusu deinde signaturae verba fiunt, „amatorum“ plerumque, et excessu peccantium, tum ex unaquaque planta omnes signaturas desumendo, tum uni signo nimis credendo, tum „a posteriori“ concludendo, Hyssopo v. gr. Mercurii signa adscribendo, quoniam morbis medeatur mercurialibus, et defectu, sicut omnes signaturae contemptores, osores, ac irrisores. Postremo, tamquam dictorum summa, proclamatur: „verissimum ergo manet, plantas plerumque vires et operationes suas externa quadam signatura prodere, — quamvis in quibusdam signatura manifestior sit, quam in aliis.“

Aurea artis signatae aetas jam diu fuit praeterlapsa, relicta enim, quae illam genuit, fovit, sustentavit, Paracelsi doctrina, res ab omnibus rationis fundamentis destituta et omnino arbitraria, ad cultorum suorum superstitionem mentisque segnitiem vel imbecillitatem testandam aptior fuit, quam ad excusandam erroris necessitatem cogitationis nova et insueta subli-

HIEBNERN VON SCHNEEBERGK, Mathematicum bei der uralten Universität zu Erfurt. 1696. p. 72.

45) Dissert. de signaturis ve-

getabilium praes. RUD. WILH. CRAUSIO def. GEORG. HENR. ROSENBERG. Jenae 1697.

mitate. Quae nova prodierunt medicinae systemata longe alia statuerunt momenta in medicamentorum experientia nondum cognitorum investigatione maxime respicienda, viasque ingressi sunt illorum sectatores in divinanda rerum efficacia medicinali pro varia doctrinae indole varias. Aliam sequebatur quae et CARTESII philosophia corpusculari et magno HARVEJI invento procreata est medicorum secta inde a schola iatromathematica usque ad FRED. HOFFMANNI disciplinam, docentque cum aliis HAMBERGERI, HANNEMANNI ⁴⁶⁾ et MAZZINI ⁴⁷⁾ scripta quomodo gravitatis differentiam, texturae subtilioris varietatem similiaque spectarint illi unde praecognoscerent medicam rerum efficaciam, aliam qui SYLVII presserunt vestigia, omnino sathabere sibi visi, dummodo chemicam plantarum medice adhibendarum rationem explorarint, unde primo et VOLPINII et TOURNEFORTII ⁴⁸⁾ de medicaminum aut aciditate aut alcalitate ⁴⁹⁾ disquisitiones sunt ortae, et TAURYI, GEOFFROYI, P. HERMANNI, LEMERYI et aliorum pyrochemia ad BOERHAVII, CASP. NEUMANNI, JOH. LUD. CARTHEUSERI, A. E. BÜCHNERI, C. LINNAEI, GMELINI, MONROI, sequentis multitudinis hydrochemiam aditus est patefactus. — Quae „acrimonias“ ex acidis alcalibusque expolivit „humoralis pathologia“, ad saporis et odoris refugit subtilitatem ubi corporum chemice reagentium ruditas eam deseruit, indeque originem ducunt quaecunque ducibus J. FLOYERO ⁵⁰⁾ et ROB. SIBBALDO ⁵¹⁾ de virium salutarium exploratoribus gustu et olfactu conscripserunt DAV. ABBRCROMBY, FR. SCHROEDER, G. W. WEDEL, FR. HOFFMANN, VAN GOCH, J. H. SCHULZ, CAR. LINNAEUS, PETR. LICHTMANNI, JO. FR. CARTHEUSER, JAC. FRED. ISENFLAMM, A. E. BUCHNER, KADELBACH, MURRAY multique alii.

Accessit, quo magis minueretur signaturae dignitas, merae castaeque observationis cultorum aucta industria,

46) Nova et accurata method. cognoscendi simplicia vegetabilia aut. Jo. Lud. HANNEMANN. Kiloni 1677.

47) Jo. BAPT. MAZZINI mechanica medicament. Brix. 1734. 4.

48) *Traité de la matière médicale, ou l'histoire et l'usage de médicamens et leur analyse chimique. Ouvrage posthume, publié p. BESNIER. Paris 1717. II Vol. 12.*

49) Ignoscas Marce Tulli, qui tandem ipse dixisti rebus novis nova imponenda esse nomina! —

50) J. FLOYER *The Touchstone of medicines discovering the Vertues of vegetables, mincrals et animals by their tastes et smells. In two Volumes. Lond. 1687. 8.*

51) ROB. SIBBALDUS Prodr. histor. natur. Scot. Edinb. 1684. Fol. Lib. II. cap. 12.

major in experimentorum ad eruendas medicaminum vires instituendorum periculis diligentia, sollertia, circumspectio, qua in re tamquam insigne exemplar Jo. JAC. WEPFERUS ⁵²⁾ prae fulget sequentibus ROBERTO BOYLE, JOH. BAPT. CHOMEL, ANT. AB STOERK, FEL. FONTANAE etc. etc.

Fieri ita non potuit quin multi non modo artem signatoriam invaderent, sed ei etiam illuderent. — Jo. LUD. HANNEMANNUS, philosophiae Cartesianae sectator, identidem affirmat ridere se cum doctioribus viris signaturas Crollianas, quippe quod somnium pridem expiravit ⁵³⁾, suam, addens, signaturam quaerendam esse et in particularum continuitate vel contiguitate et in pororum constitutione (p. 58).

THEODUL. KEMPERUS, medicus iatromathematicus: „Risu potius, inquit ⁵⁴⁾, quam refutatione dignus est Paracelsus, qui dum formas ac ideas corporis humani plantis aliisque medicamentis adscribit, e. g. Euphrasiae ideam oculorum, cum ratione insanivit.“ — Atque ⁵⁵⁾: „Quemadmodum vero similitudo illa, quam inter medicamenta specifica et partes corporis sibi fingunt, ex astris comprobari non potuit: ita multo minus ex signatura, quam plantae nonnullae referunt, poterit demonstrari. Nam ab externa figura ad internam corporis alicujus constitutionem argumentari non licet (!). Si enim hoc valeret, cur non alia capitis formam habentia cephalicis annumerantur, quae tamen nihil opis adferunt in capitis affectibus, qualia sunt Juglans, Nux Staphylodendri, Caryophyllata aquatica capitulo vel flore nutante Bauhini?“ etc.

Jo. RAJUS ⁵⁶⁾ Galenicam de quatuor qualitatibus earumque gradibus doctrinam argutiorem habet quam utiliore, magis suadet in odorum et praecipue saporum inquirere differentiam, causas, effectus. Signaturas prorsus rejicit nec ulla notae naturae consilio plantis impressas, ut naturalium facultatum indices essent, demonstrat, iisdem fere quibus Heilandus usus argumentis ex signaturae usu magis quam ratione petitis. Ut aliquam denique signaturis concedat utilitatem: „Utcunque, inquit, tamen

52) Cicutae aquaticae historia. Basil. 1679.

Resp. JOH. JUST. BOEHME. Jenae 1682. p. 34.

53) L. c. p. 118.

55) Pag. 38.

54) Diss. med. de medicamentis specificis eorumque fundamentis. Praes. THEODUL. KEMPERUS.

56) Historia plantarum auct. Jo. RAJO. Tom. III. Lond. 1686. fol. Tom. I. lib. I. c. 24. p. 46. 47.

memoriae juvandae inserviunt, et efficiunt ut facilius recordemur facultatum earum plantarum, quae hujusmodi notam velut fronti impressam gestant.“

AUG. QUIR. RIVINUS sensus communis vigore non minus eximius quam ingenii altitudine destitutus, superstitionis medicae acerbus castigator⁵⁷⁾, officinarumque a crepundiis sordibusque purgator inexorabilis⁵⁸⁾, „fictorum simulacrorum“ renuntians, in viribus medicamentorum intelligendis „ipsam simplicium naturam (?!) et saporem omnibus obvium“ sibi ait satisfacere⁵⁹⁾, omniaque damnat quasi repudianda atque ex officinis ejicienda ejusmodi medicamenta, quae appropriata vulgo credantur non alia ex causa, quam quod vel similitudinem aliquam vel convenientiam propriorem et affinitatem habeant cum certis humani corporis membris (p. 105). —

Tantopere explosae doctrinae, tamque abhorrenti ab universa medicinae illius aetatis indole, quae longe aliis rebus medicorum moveret animos, juste mireris nihilominus fuisse qui faverent. — Jo. HENR. DE HEUCHER: „Illum“, inquit⁶⁰⁾, „conatum non possum non magnopere approbare, quo mediante sensuum externorum ope de praestantia herbarum judicarunt. Quin imo non erraverit, quicumque eos recentiorum curam multis superasse dixerit, dum praeter saporem et odorem, quos fere solos a botanicis nostris adhiberi videas, illi quoque auditum*), visum et tactum in subsidium revocaverunt. — Sic constituto recte sensuum judicio, haud incerto argumento, effectus vegetabilium colligere ac cognoscere potuerunt.“ — Enarrata, exemplisque illustrata signaturae doctrina (p. 781. 782), quibus assentiat aut defensoribus aut adversariis distinctis verbis non quidem audet dijudicare, id tamen secundum fautores artis nostrae dicit: „Etsi ejus adversarii objiciant sequi ex hac Anacardii e. g. fructum esse optimum cordiale, poma omnia egregium cephalicum, pruna aphrodisiacum, Esulae succum optime lac generare, nil tamen obtinent, quam ut iis aggeratur quaestio, quam diu sit quod Mercurius, Antimonium, Cinnabaris, Coriandri semina etc. ex venenorum catalo-

57) AUG. QUIR. RIVINI Disp. de medic. superstizioso; resp. GODOFR. KLAUNIG. 1698.

58) Ejusd. Disp. de medicamentorum officinalium censura. 1701.

59) Ejusd. Dissertationes medicae. Lipsiae 1710. p. 56.

60) Jo. HENR. DE HEUCHER Opera ed. CHR. FRED. HAENEL. Lipsiae 1745. pag. 780.

*) Plantarum digitis percussarum sonos observabant.

go exempta fuerint?“ — Alio loco cum, quid de selectis quibusdam ex universa re medica quaestionibus sentiret, brevibus communicaret thesibus, earum una contendit: „Signatura est hodegus fallacissimus in virtute indaganda simplicium“; statim vero annectit sequentem: „Attamen non prorsus atque omnino spernendae signaturae“ (p. 480).

GE. WOLFG. WEDELIUS, praecipue quidem Sylvianae medicinae deditus, signaturis non fuit inimicus, in quarum referendis generibus loci etiam memorat signaturam et a brutis suggestam notitiam ⁶¹). Quamquam enim fallaces nominat extimas signaturas ⁶²), neque, nisi cum ratione respondeant, habere dicit locum (ibid. p. 9), tamen, qui omnino illas et penitus rejiciant, modestius paulo de iis sentire consultum arbitratur ⁶³), cum enim multa arti illi sint opponenda, tum negari non posse, multa hoc modo inventa esse remedia, neque raro hasce signaturas ad internae virtutis cognitionem quasi manus ducere. „Externa tamen, pergit, cum internis necesse est maritari: sufficit signaturas occasionem quasi suggerere ut harum intuitu meditari nobis jubeat de virtute hac vel illa specifica“, asseritque alioquin (Amoenitt. pag. 18): „multa, imo pleraque si non omnia non tam ob signaturam, nisi ex accidenti, quam ob intimiorem mixti κρᾶσις effectum suum sortiri.“ — Itaque non nisi junctae cum aliis cognitionis modis signaturae habet fidem, in memoriae adminiculo maximum ejusdem ponens pretium (ibid. p. 19. 20). — Apparet quam futilis fictio, quam inanis lusus ejusmodi fuerit signatura, nec nisi viro grata et accepta qui, pro nimis parva animi fortitudine iudicii que quasi ignavia, cum dissimillima et Galeni et Sylvii et Cartesii et aliorum placita commiscere mallet et quomodocunque invicem subigere quam unam alterumve damnare, signaturae etiam umbram potius admittere voluit et amplecti quam omnino illam rejicere.

MART. GOTTH. LOESCHERUS non minus anceps signaturae fuit laudator, propositis enim nonnullis ejusdem exemplis ad OSW. CROLLIUM lectores remittit, quem „in hoc medicinae capite“ praedicat egregium, ipse vero

61) GE. WOLFG. WEDELIUS amoenitates materiae medicae. Jenae 1704. p. 21.

62) Synopsis qualitatum et affectuum medicinalium. Praes. GE. WOLFG. WEDELIO def. a GOTTL.

CHR. A LANCKISCH. Jenae 1712. p. 10.

63) GE. WOLFG. WEDELIUS de medicamentorum facult. cognoscendis et applicandis libri II. Ed. II. Jenae 1696. p. 9.

„lubentissime“ concedit figuram ansam posse praebere cognoscendae remedii cujusdam virtutis, eademque medicamenta, si eorum virtutes usu et experientia comprobentur (!), neququam esse rejicienda⁶⁴). — Optime inveniendorum remediorum negotium aggressos esse illos, qui medicaminum vires ex eorundem odore et sapore eruere alloborarint; attamen hic etiam latere multas difficultates expediendas (p. 28. 29).

Non temere et JOANNEM ERN. HEBENSTREIT conicias, poëtam illum medicum cultoremque antiquitatis eruditissimum, quantamcunque signatae artis habuisse fidem, quippe qui, cum de cognoscendis medicamentorum facultatibus disputet: „Sunt tamen, inquit, pleraque pharmaca, uti illa divinus creator pro infinita sua sapientia contexit, ita comparata, ut sive intelligibile quid, sensuve apprehendendum in se habeant, sive sint *ἄποια*, nullisque ad sensum facultatibus praedita, utroque tamen modo quid de se sperari possit significant“⁶⁵). Atque: „Saepe omnium sensuum in unius vel alimenti vel medicamenti virtutem explorandam quaedam est conspiratio“ (p. 551).

Clandestinus artis nostrae amicus etiam RUD. AUG. VOGEL fuisse videtur, ejusdemque monitu Cheiranthi flores v. c. ictericis commendasse⁶⁶).

In universum quam vulgatus saeculo etiam proxime praeterito artis signatae fuerit favor, quantus numerus nisi palam ejusdem laudes praedicantium, occulte certe illam diligentium, etiamsi non apertis verbis declararet illius aetatis scriptor⁶⁷), jam inde probe colligeremus, quod tam multi exstiterint, qui illam aggrediendi atque refutandi susciperent partes. Minime enim credendum est contra fictum et jam pridem extinctum hostem dimicasse et CHR. LUD. WELSCHIUM, qui iisdem fere ac Rarus utitur ad rejiciendam signaturam argumentis⁶⁸), et CHR. GOTTL. LUDWIGIUM, quamvis risu dignam et ex-

64) Diss. exhib. meditationes de inventione remediorum. Praes. D. MART. GOTTH. LOESCHERO def. Jo. GOD. MBYRBACHIUS. Viteberg. 1729. p. 7—9.

65) Jo. ERN. HEBENSTREIT Palaeologia therapiae, ed. CHRIST. GODOFR. GRUNER. Halae 1779. Spéc. XXVI. de cognoscend. medicament. facult. p. 543.

66) Historia materiae medicae,

ad novissima tempora producta. Lugd. Batav. 1758. 8.

67) Diss. de superstitiosa morborum cura christiano atque dogmatico medico indigna. Praes. CHR. LUD. WELSCHIO resp. SIGISM. SCHMIDERO. Lips. 1710. p. 18 — „doctrina de signaturis plantarum quae adhuc hodie apud multos magni aestimatur.“ —

68) L. c. p. 56. 57.

plosam dicat opinionem de efficaciae plantarum secundum colores aut figuras, quibus partes humanas imitentur, differentia⁶⁹⁾. Nec magis supervacaneum videtur Jo. JAC. KLUNGIO affirmare: remedia specifica non propter consimilem quam cum viscere aut parte corporis humani habeant figuram agere quomodo agant⁷⁰⁾. — Jo. HERM. FUERSTENAU cum in enumerandis rationibus, quibus vires rerum medicae cognoscantur, et de antiquissima Galeni et de chemica et pneumatica et aliorum theoria faciat verba, signaturae non quidem reddit mentionem, nec tamen potest quin in adjecto corollario id etiam proponat: „Signaturae plantarum incertum de viribus earum praebent iudicium“⁷¹⁾.

Sub finem ejusdem saeculi, philosophici nomine incliti, ERNESTO ANT. NICOLAI exemplis confirmare necessarium videtur signaturae futilitatem⁷²⁾, et CHR. GOTTL. LUDWIGIO demonstrare: ad succorum in continua vegetatione elaborationem potius respiciendum esse, quam ad externam formae similitudinem⁷³⁾.

Aliam interea eamque certiore ipsisque digniorem viri docti ingressi erant viam, qua externae etiam formae in virium medicarum inventionem et dijudicationem meritis vindicaretur locus. Simulac enim herbariae rei scriptores a voluntaria et nisi casu, causis tamen extraneis rei que alienis ordinata plantarum enumeratione, diligente universae earum structurae observatione ad ordinem pervenerunt quasi ab ipsa natura praescriptum, fieri non potuit, quin interdum florum seminumque constitutio eadem, et omnino universae formae affinitas eadem quoque vires medicas prodere deprehenderetur. Ejusmodi animadversio virorum doctorum industriam et studia mox evocavit, quorum eventum RUD. J. CAMERARIUS⁷⁴⁾, ROB. MORISONIS⁷⁵⁾, CHRIST. LUD. WEL-

69) Diss. de sensu externo facultatum in plantis indice. Praes. Jo. ERN. HEBENSTREIT def. aut. CHR. GOTTL. LUDWIG. Lips. 1730. p. 39. 40.

70) Diss. de specificorum sicut dictorum remedium dubia fide et ambiguo effectu. Praes. DAN. WILH. TRILLERO def. aut. Jo. JAC. KLUNGE. Vitemberg. 1751. pag. VII.

71) Diss. de medicamentorum viribus rite aestimandis. Praes. Jo. HERM. FUERSTENAU ad discept.

propon. GABR. RIEMER. Rintellii 1751. p. 26.

72) ERNEST. ANT. NICOLAI de viribus medicamentorum explorandis. Jen. 1770. Progr. I. p. 5.

73) CHR. GOTTL. LUDWIG de plantarum viribus in universum. Lips. 1772. p. IV.

74) RUD. JAC. CAMERARIUS de convenientia plantarum in fructificatione et viribus. Tub. 1699.

75) ROB. MORISON plantar. hist. univers. P. I. Oxon. 1672. fol. P. II. ibid. 1680. P. III. 1715.

SCHII ⁷⁶⁾, CHR. GOTTL. LUDWIGII ⁷⁷⁾, et aliorum scripta optime testantur. Quae autem Riviniana potissimum excitavit plantarum methodus, magni Sueci immortalia de re herbaria merita eximie auxerunt, unde originem ducunt multi et defendentium morphologiae in cognoscendis plantarum virtutibus et negantium utilitatem libelli, e quibus memorasse sufficit qui Jo. GOTTL. GLEDITSCHIO ⁷⁸⁾, ANT. GUIL. PLAZIO ⁷⁹⁾, HENR. CHR. DAN. WILKIO ⁸⁰⁾, JAC. FR. ISENFLAMM ⁸¹⁾, FR. JAC. HELGIO ⁸²⁾ et PH. FRED. GMELINO ⁸³⁾ prodierunt autoribus, donec JUSSIAEI et CANDOLLII magna celebritas nova rei praeberent ornamenta. — — —

S E C T. III.

Doctrinae signatoriae docimasia.

De ejus, quae ita nobis explicata est, doctrinae aut veritate aut falsitate judicare, quae ad sustinendam illam aut evertendam prolata sunt diligentius expendere, de statuendo aut rejiciendo in exercenda medicina ejusdem artis usu pluribus disputare, vel etiam singulas similitudines ab illius sectatoribus propositas examinare, earumque oracula cum experientiae responsis comparare si vellem, verendum esset, ne virorum doctorum ludibrio et risu exciperer, quippe de quibus rebus ipsum tempus, judex ille nullo modo corrupendus, funestam pridem tulit sententiam. Internos autem artis nostrae fontes indagare, quae evolutoria medicae scientiae necessitas ipsam genuerit explorare, a qua denique sententiae veritate et intelligentiae sublimitate qui tracta sit ratio ad nugatorias illas futilesque commenticiae saepissime similitudinis sectationes indicare, novoque ita de-

76) CHR. LUD. WELSCHII basis botanica. Lips. 1697. Cap. VII.

77) Vid. libr. sub 69) citat.

78) Jo. GOTTL. GLEDITSCHII de methodo botanica dubio et fallaci virtutum in plantis indice. Francof. O. 1742.

79) ANT. GUIL. PLAZI Progr. de plantarum virtutibus ex ipsarum characteribus haud quaquam addiscendis. Lips. 1762. Progr. II. 1762. Progr. III. 1763.

80) HENR. CHR. DAN. WILKE de usu systematis sexualis in medicina. Gryph. 1764.

81) JAC. FR. ISENFLAMM methodus plantarum medicinae clinicae adminiculum. Erl. 1764.

82) FR. JAC. HELG Diss. de botanices systematicae in medicina utilitate. Arg. 1770.

83) PH. FRID. GMELIN Diss. sist. botanicam et chemiam ad medic. applicatam praxin. Tub. 1755.

monstrare exemplo, quomodo ineptissimi erroris radices subtilissimis et elaboratissimis intertexantur et implicentur veritatis floribus, quaecumque mihi videtur operae pretium.

Cum vero de signatura dicendum sit, quatenus conjuncta sit cum quaestionibus, quae ad internam vel medicae vel rerum omnino naturalium scientiae pertinent vitam, ad PARACELSUM flectat, necesse est, oratio. Si qui enim ante ipsum medici, neque calida, neque frigida, neque humida, neque sicca curantes, ex imaginis formarumque similitudine elegerint morborum remedia, sortiebantur potius quae sumerent, quam considerabant. Post illum autem in tantas res abiit nugae, tamque miserabilem praebuit speciem, ut, si unum excipias ex defensoribus KIRCHERUM, HELMONTIUM et CONRINGIUM ex adversariis, incertus sis num magis te pudeat eorum, qui ita coluerunt, an illorum, qui ita invaserunt talem rem. — Tum enim exoptatissimus iis fuit vir ille magnus, quando viribus excelso volatu confectus ex cogitationis altitudine in saeculi sui aridam planitiem decideret, talem scilicet sentiebant eodem solo iiscum insistentem, laudabantque sibi parem, quippe qui res proferret satis palpabiles ipsorumque ingenio adaptatas, quas pusillis animis dilatarent et quasi distorterent. Inde illorum turba, qui zodiacum amplificarent ut majorem caperet plantarum numerum, eorum multitudo, qui immortales fieri opinarentur novi similitudinis generis inventionem, qui non requierunt priusquam foetum humanum adspiceret nebula imaginatio in Aro maculato, antequam nasum elicerent e Menthae flore; defectus vero eorum, qui in iis Paracelsum imitati sint, quae egregia senserit, qui sapierint cum illo non desipuerint.

Tria autem sunt, quae eximie cogitavit, egregie intellexit Paracelsus, et quibus firmavit quam profitebatur signatoriam artem: mundi effigiem conspexit in homine tamquam microcosmo, similia in arte medendi applicanda esse censuit similibus, ab exteriori rerum specie internam et veram earundem indolem colligi constituit. — At qualem nobis, ut microcosmi probet appellationem, enarrat de mundi hominisque creatione fabulam, qualem exhibet humanorum mundique membrorum comparisonem! Quam confidenter viscera nostra singulis planetis attribuit! At novae exinde detectae sunt, quid eae accipiunt, num repelluntur? — Similia vult adhiberi similibus, at qualiter tandem similia! Euphragiam

scilicet oculis, pesti gallas! Intimam rerum naturam tantum abesse proclamat, ut externa specie non cognoscatur, ut potius altera contineatur altera. — Egregie! vocatis, quemadmodum nempe Perforatae „intima natura“ foraminulis quibusdam exprimitur in ejusdem foliis collocatis! Foraminulis? Certe foraminulis, tunc nescis ipsissimam Perforatae essentiam vim esse aperitivam? Quam quid aptius significet aperturis?!!! —

Rara sane summae intelligentiae errorisque futilissimi permixtio! Mira ejusdem naturae duplicitas! Excelsus aeternae veritatis spiritus saeculo quinto decimo sublimi sapientia rudem impleverat tonsorem, divinae missioni satisfecit ille, sed quae patefecit agrestis patefecit tonsor, aequalis proclamavit aequalibus saeculi decimi quinti! — Tubae instar non raro mihi visus est Paracelsus, qua vox spargeretur aeternae veritatis cum tempus accessisset, quo humanum genus aetate nec vero ingenio progressum divinitus moneri placuit summae sapientiae; resonavit illa sed tali sono, qualis ab imperfecto et mendoso instrumento, ita tenebroso temporis spatio constructo, reddi oportuit. —

Id igitur apprehendamus, quod divinum est in illo, nec fore ut diu lateat, credo, diligentius consideraturo, esse aliquid egregie veri in illis edictis. — Jam vero ita rem vertamus, ut quid habeant in historica medicinae explicatione ponderis illa signaturae Paracelsianae propyiae simul ipsorum subtiliore perpensione aliquo modo eluceat. Signaturae etenim doctrina tantum abest, ut res sit, quae forte et casu quodam in mentem venerit Paracelso, ut intimo potius vinculo cum universa et pathologiae et therapiae ejusdem theoria connexa sit. Genuit illam eadem contra Galenicam medicinae tyrannidem seditio, quae evexit detrectatorem Paracelsum. Qui vero comparet repulsam Graeci cum nova Germanici ingenii disciplina eo respectu, ut quid in hac prae illa proxime faverit arti signatae inquirat, in ipsa medicaminum eligendorum ratione duo inveniet, quibus altera ab altera differat, momenta, quorum diligentissima consideratione atque animi quasi penetratione, ad intimam et gravissimam antiquae novaeque doctrinae discrepantiam perducetur.

Contrariis primo remediis contraria curari voluit ille, similia similibus corporis conditionibus medicamina requisivit Paracelsus. Neque autem ita hac sua sententia contradixit Galenicam, ut in eodem morbo me-

dicamenta captaret viribus e diametro opposita iis, quae Galenus adhibuisset; non enim de diversa solum ratione, qua in universum sanitas restituenda sit, alter ab altero dissensit, nec omnino in eodem plano, ut ita dicam, utraque projecta fuit sententia altera huc discedente, illuc altera; quae si ita essent non minus veritatis haberet antiqua doctrina quam vanitatis, et Paracelsianae sententiae non nisi dimidia veri pars contingeret ea, quae Galenicae desit, deesset vero id veritatis dimidium, quo illa gaudeat. Hac ratione non esset cur signaturae doctrina cum necessitate quadam ex Paracelsi sententia prodierit, nam ex iisdem ad morbos invadendos armis telisque frigus capturus esset Paracelsus, quando calorem Galenus apprehendisset, siccitati confusus, quando ille humori, rebusque ita positus ille iisdem auxiliis quibus Pergamenus aptissima cuivis morbo remedia e medicaminum armamentario invenisset. — At qui ita utriusque sententiae intelligit differentiam in verborum haeret superficie. Non eidem, quo Galenus, institit solo Paracelsus, cum ex indicio illius sententiae semitam ingrederetur militari Galenicorum viae prorsus oppositam, immane quoddam spatium Galeni fundamenta superabat Paracelsi aedificium, cuius cacumini inscriptum fuit illud: Similia similibus. Recondita fuit sub illa inscriptione omnino diversa humanae naturae rerumque externarum ad hominem conditionis intelligentia. Quae Galeno visa sunt singulari universalium quorundam elementorum mixtione constitui, alteriusque eorundem in alterum actione peragi, in iisdem sublimem aliquem, summisque divini cujusdam animi legibus adstrictum Paracelsus admiratus est *κόσμον*, quam actionis et reactionis vicissitudinem in hominis rerumque exterarum conditione obviam ad frigoris calorisque, humidorum siccorumque mutuam inimicitiam, mobilitatem et dissipabilitatem redegit Graecus, tamquam animantis cujusdam relationem ad animantem naturam contemplari videtur Paracelsus, quarum altera alteram sexcentis amplectatur brachiis alia aliaque appetentibus, tangatque innumeris tentaculis quorum unumquodque singularibus stimulis sit obnoxium, medicique officium tamquam nutricis conditionem, quae multivariis lactentis partibus, pro diversa earum indole vitaeque singularitate diversa singulisque convenientia, ex totidem mamillis, praebeat alimenta vigorisque concitamenta; ubi ille *ἀόυμμε-*

τρίαν τινα conspexit, excessu aliquo cujusvis ex quatuor principalibus qualitatibus effectam; propriam hic animadvertit vitam e vita nascentem; quando igitur alteri e medicinali materia res fuit eligenda, quae ea gauderet quatuor illarum qualitatuum ubique diffusarum mixtione, qua compesceretur et quasi compensaretur hujus illiusve earundem qualitatuum in humano corpore obviarum excessus secundum probabilem additionis computationem, concorsque restitueretur ponderum vacillantium aequilibrium, id fuit alterius, ut vivarum cuique naturarum, exquisita libidine praeditarum, eam investigaret almae nutricis mamillam, quae ex sexcentis sola illi conveniret, sive (mutata enim imagine melius duntaxat exprimendae sententiae superatur difficultas) simile subierit officium, quam qui homini horrendi aliquid commissuro ex prorsus alienorum hominum multitudine unicum inquirat necessarium, qui ad movendum illius animum aliquid valeat. — Ut brevi dicam: longe alio verborum sensu: „Similia similibus curari“ contra Galenum contendit Paracelsus, quam qui hodie eodem clamore aures nostras obstrepunt; neque enim, cum medicamina ille opponeret morbis, quae contrarium malum sanis parare pollerent, id sibi voluit sua sententia noster, ut inquirenda censeret remedia, quae ipsi morbo similem corporis statum movere valerent ¹⁾, postulavit contra, ut singularem quandam atque vitalem affinitatem et ad partem affectam, et ad peculiarem morbi speciem haberent medicamenta, cum bene intelligeret: neque inanimatae naturae eorundem comparandas esse actiones, nec, quod praecipue animadvertendum est, *unquam res prorsus inter se diversas in se invicem agere posse, necessarium potius esse ad movendas rerum actiones, ut communis aliquatenus sit natura eorum, quae aliquid inter se habeant rei.* — Ne id quidem, quo magis etiam augeatur nostra erga virum magnum admiratio, omnino fugisse videtur Paracelsum, quod, quae sub altiore ratione una sint et aequalia, in ipsius communitatis finibus differant atque sibi opponantur, oporteat, si quis inde exspectandus sit vitalis motus. Quae enim summa lex omnes animantium, inanimataeque, quam vocant, na-

1) PARACELS. Opp. plur. cit. falsch, in der Arznei nie wahr
 P. II. p. 39: „Contraria a contrariis curantur, das ist, heifst
 gewesen, sondern also: Arca-
 num und Krankheit das
 vertreibt kaltes: das ist
 sind die Contraria.“

turae actiones motusque gubernans, ultimaque, quam hic usque assequi potuimus in omni et humanarum et divinarum rerum explicatione, ratio, nisi subtiliter satis mente percepta, perspicueque ab eo verbis expressa deprehenditur, certe secundum primas lineas, etsi ad claram figuram nondum collatas, ante internum illius sensum obversata esse videtur, quod exemplo potissimum apparet ad declarandam ejusdem de medicaminum salutarium natura sententiam tam saepe repetito, quo maritimo morbum, remedium uxori comparat²⁾.

Quae igitur cum tam diversae essent naturae Galenica et Paracelsiana medicamina, illa vel frigida, vel calida, vel sicca, vel humida aliquo gradu, haec singularibus singula virtutibus praedita, et viva quadam, ut ita dicam, idisyncrasia instructa, fieri non potuit quin diversis etiam auxiliis investigarentur, diversisque signis agnoscerentur, eoque ad alterum supervehimur, quo in artis signatae favorem a Galenica Paracelsi discrepavit doctrina. —

Experientiae primum non eadem esse potuit apud unum alterumque aestimatio; Galenus enim, cui satisfacit illa, si, quae pauca fuerunt de rerum frigiditate, siccitate atque ejusmodi ex ipsa quaerenda, bene consuluit, habuit cur irrideret iis, qui tam commodam tamque promptam consiliatricem spernentes ab inaccessiblei, lata, et incerta ratione peterent consilia; Paracelsus contra, qui infinitam quandam morborum, tamquam rerum propriam vitam degentium, videret varietatem et multitudinem, ita ut sequens quaeque aegrotatio ei oblata novam prae se ferret indolem et speciem, nova instructa esset et singulari appetendi et respuendi libidine, frustra, oportuit, saepe interrogaret experientiam: quae potissimum res ex immenso medicaminum thesauro, non secundum qualitates quasdam facile cognoscendas in ordines redacto, sed inordinate

.2) P. IV. p. 303: „Denn das sollen ihr wissen, ein Mann ohn ein Frauen ist nit ganz: nun mit der Frauen ist er ganz. Nun ist die Frau von der Erden, und er ist auch von der Erden, also von der Erden sind sie beid, und werden beid ein Ganzes, das ist, aus einer Erden: Also auch der Mensch und die Arznei beid aus einer Erden, und beide machen einen ganzen Menschen, das ist, Einen Menschen.“ — „Drumb so ist ein jedliche Krankhcit ein Mensch, d. i. in Eigenschaft und Form eines Menschen, also auch die Arznei. Nun folgt darauf, das die Krankheit begehrt ihr Fraucn, das ist, die Arznei“ u. s. w. Cf. P. IV. p. 307.

jacente, ea gauderet virtutum complexione et universae naturae singularitate, qua apta fieret, ut illi ipsi prae ceteris rebus commode opponeretur morbo. Providendum igitur fuit nostro, quo alio modo assequeretur propositum, nec certe alia id melius sectari potuerit via, quam qualem vere ingressus est. Quem enim vero experientia deseruit, qua alia ratione de medicamentosa rerum efficacia nisi facilius exploraret, rectius tamen magisque egregie aliquid explorare is stude- ret, quam de intima atque summa hominis mundique natura et fine cogitando, quae sit vis et potestas singularum unius alteriusque partium rite perpendendo, e summis denique rationis principiis, quae humani corporis partes, quaeve peculiare earundem actiones vitalesque processus ad quas rerum extra nos positarum praecipua et singulari gaudeant necessitudine deducendo?

Quando vero ultra experientiae consilia ad ratio- cinia confugerunt Galenici, ex ea rerum conditione, quae ipsis sensibus statim esset obnoxia, de illarum vi- ribus aliquid argumentaturi, non minus longe abfue- runt a Paracelsicorum agendi ratione; cum enim in hac virtutum medicarum investigatione nonnisi saporibus et odoribus aliquam fidem tribuere solerent illi, universam rerum formam i. e. totam speciem sensibus oblatam respexerunt Paracelsistae, figurae imprimis magni facientes observationem. Nec magis autem id factum est fortuito vel temerario quodam arbitrio, sed intima utriusque doctrinae indoles hanc genuit diffe- rentiam, quod clarius nobis patebit, si veram vario- rum hominis sensuum vim et potestatem paulo accu- ratius consideraverimus. — Gustus etenim et olfactus sensus sunt hominis vegetabilis, dum reliqui ad ani- malem hominem pertinent. Nutritivam hominis ani- mam constituunt illi, divina hominis pars his nutritur; ad vorationem et carnalem (ut a theologis mutuer vo- cem) libidinem illis allicimur, hi cogitationis animique voluptatis pabula nobis largiuntur. Gustus et olfactus ii sunt sensus, quibus eminenti quadam ratione chemic- ae vitae mundus nobis aperitur, unde peculiaris eo- rundem natura cum necessitate efficitur: prae ceteris sensibus enimvero sunt destruentes, materiam siqui- dem ipsam postulant, cum actiones sufficiant ad moven- das auditus visusque perceptiones, aërea quidem ol- factus apprehendit, rerumque atmosphaeris ideo vesci-

tur, solidiora ad gustum pertinent, qui propterea ipsa rodit corpora; in hoc etenim „chemismi“ regno, cui non dantur individuae res atque solitarem vitam degentes, opus est ut ipsi, tamquam chemicorum „reagentia“ corpora, quasi immergamur liquoribus mixtarum naturarum, quarum efficacia est sentienda. Ut autem ad eas res, quae organis instructae sunt, sensuum ope nobis patefiat aditus, cum certis finibus circumscriptae, individuae vivaque naturae ibi nobis opponantur, sensus requiruntur, qui absque ulla alienae naturae violatione, intactos omnino et intemeratos percipiant alienae vitae motus. — Inde tam diversus nascitur variorum sensuum in morborum remediis reperiendis utilitas. Si morbo a materia magis alieno, idiopathicae v. c. mentis valetudini, aptum sit investigandum remedium, neminem melius consulturus sis, quam aures tuas vel oculos, per quos enim introitus futurus est virium salubrium, iidem sensus suavem sonorum concentum, verborum lenitatem, colorum hilaritatem, regionis amoenitatem similiaque tibi ostendent, tamquam aptissima et cum morbi natura maxime convenientia medicamina. Eosdemque recte fausteque adeas sensus, si mere „organicas“ rerum vires ad morbos sanandos adhibere volueris. — Longe alia res in eorum indagatione, quae vulgo usitari solent medicamenta, quippe quae vel per orem ventremque migrare jubentur, vel certe ex chemico-dynamica in nutritivam, seu, si ita dicere licet, materialem vitam actione morbos aggredi expectantur. Hic enim olfactus gustusque sensus iustiores magisque idonei virium medicarum sunt censores et probatores. Gustus praecipue si iis corporis partibus auxilium ferendum, iis morbis est impugnandum, quae maxime materiae sunt implicita, olfactus si subtilioris naturae minusque corporeae acciderit aegrotatio. Ille amaritudines v. c. nobis suadet concoctioni ciborum salubres, salia dignoscit alvum moventia, acida commendat sphacelo adversaria; odore antispasmodicas divina mus castorei moschique vires, analepticas ammonii volatilis oleique animalis e. s. p. — Neve mirari quis velit saporibus et odoribus de rerum medicatrice natura ita nos instrui, etenim, cum gustus vere chemicus corporis nostri sit sensus, qui effectum a rebus chemico-dynamice agentibus profecturum conscientiae nostrae aperiat, res, simulac gustavimus eas, actiones ipsis proprias in cerebralem hominem jam peregerunt;

olfactus vero nil nisi gustus est in distantiam porrectus, ita ut electricismo sit comparandus si illum cum chemismo contuleris, cujus vires nisi contactu non evolvantur. Cum vero a percipientibus sensibus ad res transimus percipiendas, formam invenimus sive figuram iis cum quadam excellentia propriam esse rebus, quibus vitam angustiore vocis ratione adscribimus, anorganicarum etenim, quae vocantur, naturarum genuina indoles in mixtione, organicarum vero in figura est posita, quare tum prorsus amorphae sunt illae, tum, quam certam, ex interna necessitate prodeuntem, neque tantum extranea vi impressam sola crystallata assequuntur formam, ea est imperfectior, deterior, eoque rectis lineis circumscripta, nec unquam ad multiformes, sublimiores, mobiliores, vivarum verum curvas eadem perveniunt. Ita efficitur ut, cum fossilia optime certissimeque mixtionis rationibus designantur, nemo sanus audeat animatas naturas ex elementorum chemicorum differentia dignoscere et disponere, quibus autem rebus prae ceteris contigit forma, ex eadem agnoscantur et discernantur oportet. Plantarum vero, ut id etiam adjiciam, cum earum spiritus potissimum sit *fabricator* („Vulcanus“), optima fiat distinctio earum partium respectione, in quibus summum fabricatio assequitur gradum, generationis ideo instrumentorum, animalium contra, quorum animus est *actor*, varia genera, cum ipsae actiones fugaces a morphologia teneri non possint, eorum organorum constitutione optime significantur, quibus actiones vere animales, cum tempore profugae, in spatio devinctae et effectae exprimuntur.

Quibus praemissis melius intelligi potest, e quibus intimi Paracelsianae doctrinae ingenii fontibus orta sit illa formae totius prae Galenico sapore et odore habita ratio. Cum enim eo potissimum Paracelsi ab antiqua medicina differat, quod ubique in rerum natura viderit sejunctas et vivas integritates, earumque singularum partium in unum finem ipsis proprium quasi conspirationem, dum Galenicis a viribus universalibus, per omnem mundum aequae diffusis, communi lege omnia viderentur regi, quum animata apparerent illi eadem, quorum summum gubernatorem in certa quadam elementorum temperie ponerent Galenici, cum vitae apud Paracelsum, mortis regnum latius pateret apud Galenum, cum inanimam denique q. d. naturam

ad animatam, sufferret ille, animatam ad inanimam detraheret Pergamenus, ita ut, si *cosmico-elementarem* recte apteque appellares antiquam, *organico-individualis* nomine, si veniam dant verbo philologi, Paracelsi medicinam designem, quae igitur cum ita essent, fieri non potuit, quin medicamina etiam, praesertim vegetabilia, non mortua et inanima materia ab eodem haberentur, sed vita donarentur singulari, eaque anima sive spiritu, quem Archeum appellavit Paracelsus. Ex quo tandem efficitur, eum qui talium medicaminum vita animaque praedictorum singularem, variorumque variam naturam sensuum ope exploraturus sit, nil habere quod magis respiciat, quam rerum figuras, quas vidimus in illarum naturarum cognitione, quae „organicam“ ex recentiorum appellatione degant vitam, primum tenere locum. —

At, aliquis dicat, alia res est planta vel animal cujus formam contemplantur signatores, alia medicamentum quod inde sumerent, deleta extinctaque cum forma ipsa, quam ea exprimeret, divina et principali rei idea! Recte formarum, tamquam creatoris cogitationum plasticè effictarum, observationem praedicarit Paracelsus, dummodo tota semper corpora, intactaque propria ipsorum vita, in usum medicum vocarentur, ita ut, immutata forma a signatore observata internaque indole, *viva* remedia vivis morbis opponeret medicus!

Concedendum est: aliqua hic latet difficultas quae removenda, lacuna quaedam in sententiarum Paracelsicarum ordine quae explenda erit, si intelligas qua ratione illud: formae rei respondent, in probandam signaturae veritatem convertere potuerit Paracelsus. Quod vero quid sit cum attentius consideramus, ad singulare quidquam et peculiare doctrinae Paracelsianae perducimur, quod non modo hac in re, sed in universa signaturae scientia constituenda maximi fuit et perditissimi momenti, idem quod effecit, ut omnia, quae tanta cum sublimitate tamque ingeniose intimo animo conceperit ille de re nostra, ita deformi specie et ridicula sint enata. — Ac, ne erroris velamento veritatis nitor prorsus obvolvatur, sane magna et egregia, necesse est, viri fuerit divinatio, qui quadringentis abhinc annis rem conatus est explicare, quam hodie futurorum saeculorum praestantissimis ingenii acumine viris tamquam difficile et dignum relinquere coacti

sumus πρόβλημα! Lucem enim v. c. oculi ferre signaturam, lucem mundi esse oculum nostratum quis neget? Quis forte et casu factum esse opinetur, quod mercurius, liquidum illud, diffusum, nulla data quiete agitatum metallum, in vapores facillime abiens, corpus nostrum solvat, expandat, ad diffluendum moveat, quod condenset contra duretque rigidum durumque ferrum? — Certe, contendimus, subtilioris et generosioris indolis „signatura“ aliquando prodibit! Nimirum non sanus tunc habeatur, si quis illam v. gr., quam proposuimus, lucis oculique affinem naturam eo probaturus sit, ut solis forsanel bulbique similem demonstraret structuram. Quod vero ad ejusmodi expositionis ludibria pervenerint Paracelsus et qui illum in colenda signatura sectarentur, fallat qui una satis explicari credat temeritate adolescentiae, et humani generis, et naturalis scientiae propria, studiique ardore, ex quo quae ingeniose sunt divinata et imaginationem praepriis excitant, ita obcoecant judicia, ut in persequenda cogitationis postulatione auxilia non contemnuntur, in quorum futilitatem tranquilla virilis mentis consideratio nunquam aberret. — Maximum mihi videtur non modo in illius dubitationis judicatione, sed in omni de interna Paracelsianae signaturae vi quaestione, praecipueque respiciendum: artem signatam filiam fuisse temporis, quo in rebus physicis non aeterna quaedam, ex immutabilis necessitatis legibus regens, naturae principalis potentia summum haberetur tribunal, sed ad providentem, comitem et benevolum provocari soleret deum, qui delicias suas, unice dilectos homines „tamquam catellos“ gremio foveret, eam procreatam esse aetate, quae magistrorum quidem imperiosorum ferulae subduxisset manus, sed non magis quam ipsi quas respueret praeceptores ad veram pervenisset animi libertatem, in cujus rerum naturalium investigatione nimis magnum esset fidei cujusdam religiosae dominium, quae in suavissimo perfectissimae libertatis somnio summi cujusdam finis fictioni serviliter obtemperaret, cujus altissima ardentissimaque de mira creationis magnificentia inspiratio in misero futilis utilitatis argumento esset nixa. Illud enim Aristotelis: Ὁ θεός καὶ ἡ φύσις οὐδὲν ματὴν ποιοῦσιν³⁾, idolum fuit et formido universae illius temporis de rerum natura scientiae, quod ita

3) ARISTOTEL. lib. I. de coelo. c. 4. in fine.

interpretabantur, ut frustra fieri viderentur omnia unde homines nullam caperent utilitatem. — Optime itaque intelligas veram artis illius signatoriae indolem si: *anthropoteleologicam*, sive *talem* eam contempleris *de salutarium virium formarumque in medicaminibus necessitudine disciplinam*, qualis exhiberi oportuit ea generis humani aetate, qua homo unicus haberetur creationis finis.

Qua sententia interprete facillime comprehendas, qua ratione ea, quae tamquam reconditos in Paracelsi doctrina notavimus thesauros, ita deformari atque turpari, ad probandum tantopere ridiculum opus usurpari, quomodo omnino cum ejusmodi nugis necti potuerint. Ut enim primo eam hoc modo removeam, quae huc nos deduxit, dubitationem de formarum rerumque congruentia ad firmandam medicaminum signaturam ratione non perspicua a Paracelso adhibita, prorsus mutetur necesse est hac de re nostra sententia, cognita Paracelsi anthropoteleologica mundi contemplatione. Quae enim antea proprios vitae fines formis suis significarent res extra nos positae, jam non nisi peculiare exprimere possunt utilitates hominibus ex semet ipsis prodeuntes, intima scilicet, verissima et genuina rerum indoles et finis varia solummodo comprehenditur efficacia in homine ab iisdem exercenda⁴⁾, formaeque non absolutas tibi demonstrant, sibimet ipsis sufficientes ideas, sed vestimenta sunt et signa virium in hominis favorem creaturarum⁵⁾. — Formarum posthac similitudines, e quibus quales macrocosmiae cum qualibus microcosmicis rebus convenient debet agnosci, ne sint nimis obscurae oportuit, neve ita difficiles intellectu, quae ingenii postulent excellentiam perpaucis hominibus tributam, sed, non quidem omnino manifestae et palpabiles, quo jucundum quoddam hominibus subduceretur negotium⁶⁾,

4) Append. ad P. V. p. 199: „Warumb ist der Himmel so wunderbarlich gemacht? Warum hat er so seltsame Wirkung in ihm? Allein von des Menschen wegen. So er nun nichts hat, als allein das dem Menschen zustehet, so muß der Mensch corpora und loca haben, darinnen der Himmel seine Wirkung vollbringt“ u. s. w.

5) P. I. p. 88: „Nehmt Euch

ein Exempel für in der Rosen oder Lilgen: Warumb hat sie Gott also geformirt in die Bildnuffs? Und andre Ding dergleichen? Darumb, dafs er den Arzt beschaffen hat und sein Arznei aus der Erden, also dafs er wiss, was aus der Erden gang in seiner Anatomey“ u. s. w.

6) P. X. p. 157: „Es möcht manchen verwundern, warumb Gott solches verordnet hat, dafs

satis tamen perspicuae et mediocri judicio conjicienda⁷⁾, ne nimis crebro errore damnum capiant dilecti homines⁸⁾, nimirum si ex nimia signorum obscuritate ab hominibus non cognoscerentur rerum utilitates, cur omnino existant res, quarum existentia in semet ipsa nullum habeat finem, quae non sibi sed homini vivant?! Postremo in judicanda quoque ea conformitate, quam ex homine et macrocosmo extricare studuit Paracelsus, non obliviscendum est, quod non modo hominis originem ab illo ducat, sed omnem mundum tamquam in unius hominis finem ortum contempletur⁹⁾, quod non pater tantum et nutritor hominis ei videatur macrocosmus, sed servus et pabulum¹⁰⁾, quod omnino frustra, temere nec ulla ratione foret creatum, nisi adesset homo, quod denique constructionis in homine mundoque similitudinem non modo ex ipsa eorum natura cum quadam necessitate profluentem habeat, sed divino consilio hominis causa petitam.

Ea igitur sententia, quae mundum hominis gratia procreatum esse finxit, tot tantisque erroribus obruit

der Mensch durch die Kunst das Verborgene soll erfahren? So ist es doch allein die Ursach, das der Leib des Menschen sein Uebung habe oder dergleichen, und das er erfahre, was Gott in die Kräuter spiritualisch gelegt und verschaffen hat“ u. s. w.

7) P. X. p. 383: „Denn Gott hat im Anfang alle Ding fleissig unterscheiden und keinem wie dem andern ein Gestalt und Form geben, sondern cinem jeden ein Schellen angehängt, wie man sagt, man erkennt den Narren bei der Schellen.“

8) P. I. p. 90: „Und so du hast ein Concordanz deren Dingen zusammen, welcher Blinder wollt Brod heischen von Gott, dem für Brod Gift geben würd?“ — P. IV. p. 360: „Denn die Natur lernt Euch nichts Falsches, betreugt Euch nit: sondern wie sie ein Menschen dem andern gleichgemacht hat, also sollen ihr auch wissen, das sie gleich maehen wird und gemacht hat, die Arzney dem Kranken.“

9) P. IV. p. 257: „Nun warumb ist die Natur geschaffen als allein darumb, das der Mensch in ihr stcht: zu gleicherweis, wo zu ist das Holz und das Feuer als den Menschen zu erwärmen und ihm zu bereiten sein Nothdurft!“ —

10) P. IX. p. 135: „Also hat Gott im Anfang bedacht zu schaffen Himmel und Erden, nicht ihnen selbst: denn das hat müssen in göttlicher Fürsichtigkeit vor seyn, das Himmel und Erden bereit werden, ehe denn das Ding beschaffen werden, das ist also. Einer der ein Ding will machen, der muß erst ein Andres machen, darnach denselbigen dem er's machet. Das letzte ist allemal das, darum es gemacht wird. Also befindet sich, das der Mensch im Göttlichen Fürnehmen gewesen ist, denselbigen zu beschaffen. So er nun soll beschaffen werden, demselbigen auch zu geben, was er darf: Auf das folgt nun Himmel und Erden, und alle Creaturen darinnen.“

signaturae doctrinam, ut ex nugarum farragine vix ulla invenias egregii Paracelsi ingenii vestigia ¹¹⁾. — Utinam versa oratione hominem mundi causa adesse senserit ille, minus obnubilata essent nitida magni ingenii fulmina, multo sublimior et quasi animabilior sententiae fuisset consequentia, longe subtiliora fuissent rerum microcosmicarum et macrocosmicarum vincula, uniusque ad alteram relatio et affinitas. Dum enim mundus intelligentiae expers hominem plastica solummodo materiae imitatione potuit effingere, ab homine ad conscientiam et rationem expergefacto, ut fini suo satisfaciat, non nisi facultatem jure quis postulet univ-ersum mundum animo suscipiendi et reconstruendi, qua, cum ex propriis simul moveatur legibus, sibimet ipsi quodammodo sufficiat, et totum aliquid exprimat, microcosmi nomen non minus mereatur!!

Ad quem vero in rerum natura investiganda Paracelsus, qui gravissimae veritatis semina animo foveret, tunc solum confugeret providentis Dei erga homines coecum amorem, quando fortissima ejusdem ingenii

11) Pugnare quidem videtur contra illam sententiam quod P. VIII. p. 23. Paracelsus profert: „So ist es ein einfältige Philosophie, allein in unscrn Elementen der Erden setzen alle Seligkeit und Ewigkeit, und ist ein thörichte Meinung, dafs wir uns sollen achten allein für das edlest Geschöpf, dieweil mehr Welten seynd denn wir allein.“ Nec vero nisi speciem habet contradictionis, dictum enim est eo respectu, quod praeter nos „terrestres“ homines alias etiam Paracelsus admittit naturas intelligentes, quae per hanc divinam ipsarum partem nobis sint pares („Geistmenschen“ P. IX. p. 48), differentes solo corpore pro peculiari materni uniuscujusque elementi indole, elementares dico illos „spiritus“: Nymphas, Sylphas, Pygmaeos et Salamandras. — Hanc verborum Paracelsi fuisse vim statim insequente de „nocturnalibus“ homunculis (Pygmaeis) exemplo patet. Cf. et p. 32. — Memora-

tu id etiam maxime dignum est, quod ne immortalitatem quidem denegarit Paracelsus iis rebus, quarum totus finis in una utilitate hominibus praebenda continetur ex ejus sententia. Sed audiamus qualis aeternitas quare iis tribuatur: — „an dem End, da zusammen kommen werden solcher aller Dingen Ewigkeit. Es wird an dem End viel Unwissendes erkannt werden, und in mancherley Weg erscheinen: Nicht allein von denen, die da Ewiges inne haben, sondern auch von denen, die da das, so in ihm Ewiges hat enthalten, genähret und gewiesen haben. Denn das Ewige in zwei Weg zu verstehen ist: der Ein zu herrschen und zu Regieren, der Andre demselbigen zu einem Ansehen. Denn es ist wider die Philosophie, dafs die Blümeln sollen ohn Ewigkeit seyn: wiewohl sie verderben, so werden sie doch an der Sammlung aller Geschlechtern erscheinen.“ P. VIII. p. 29.

vis formatrix illa semina explicare non sufficeret, exoptatissimum evenit et commodissimum cogitationis se-
gnitiei auxilium iis, qui post illum easdem res tracta-
rent. — „Quam tandem ob causam salutare herbae
sint procreatae, si earundem vires non cognosceremus?
Propterea manifesta aliqua nota illas signare debuit
pro benevola sua prudentia Deus!“ una fuit, perpetuo
repetita, signaturae defensorum argumentatio, imo quam
ne ii quidem spernerent, qui primi botanicam ratio-
nem in divinandis ex formis viribus adhiberent, sen-
tientes benignum Deum ideo, quae in visceribus plan-
tarum latent, figuris externis manifestasse, ne experi-
mentis, cum detrimento vitae humanae institutis, ea-
rundem vires indagare necesse sit ¹²⁾). Una igitur
idonea atque quae ipsum adversarium non eidem cum
defensore exponeret risui, Helmontii fuit et Conringii
contra ita defensam artem signatam oppositio.

Frustra altum COPERNICI ingenium elatos homun-
culos ex ipso universi centro in exilem jactaverat et
devium loculum, frustra magnorum quorundam philo-
sophorum, e quibus unum pro multis nominem SPINO-
ZAM, auditae sunt voces, paucissimi enim certe fuerunt
inter eruditos illius temporis viros, quos inepte vel te-
mere castigavit acerbus POPPI lepor:

„While man exclaim's: see all things for my use,
See man for mine! replies a pamper'd goose.“

Quae vero de servili magnificentissimi mundi na-
tura superciliosa opinio, cum, ubicunque obtineat lo-
cum, de animorum sic concipientium testatur pusillit-
ate, stoliditate et ignavia, tum tristissimum maximeque
aerumnosum praebet aspectum, quando morbidus homo

12) Vid. Diss. CHR. GOTTL. LUDWIGII supr. cit. p. 8. — Ut vero novo antiquum jungatur ratiocinii monstrum ex anthropoteologica rerum contemplatione ortum, locus legatur Plinii. Qui cum lib. XXII. hist. nat. sect. 1. dixisset: „Tot genera herbarum utilitatibus hominum aut voluptatibus genita.“ — „Reliquarum potentia approbat nihil a rerum natura sine aliqua occultiore causa gigni“, quales intelligat ejusmodi occultiores causas sequente loco (Libr. eod.

sect. 7.) ita declaravit: „Exco-
gitavit (Deus) aliquas (herbas)
aspectu hispidas, tactu truces,
ut tantum non vocem ipsius fin-
gentis illas, rationemque red-
dentis exaudire videamur, ne se
depascat avida quadrupes, ne
procaces manus rapiant, ne ne-
glecta vestigia obterant, ne in-
sidens ales infringat: his mu-
niendo aculeis, telisque arman-
do, remediis ut tuta ac salva
sint. Ita hoc quoque, quod in
iis odimus, hominum causa ex-
cogitatum est.“

illud universi servitium sibi vindicat. Ita enim nascitur marcida illa et decrepita mundi contemplatio, cui universa rerum natura tamquam pharmacopolium apparet, cui laetus veris proventus ad pulvisculos exarescit et morsulos, floridus aetatis splendor corrugatur et tabescit, ut infusa commode inde parentur et decocta, ad electuaria denique pilulasque putrescit larga auctumni ubertas, sive ut egregiis poëtae nostri suaviter sapientis verbis in imbecillima parte nudetur signatura:

— „*Als so weit beklommen
Er gekommen,
Sah ich Bäume wanken
Wie die Kranken,
Dass von welken Stielen
Blätter fielen,
Und am Boden klebten
Gleich Recepten.
Als fortfuhr das Mustern,
Ward zu Hustern
Aller Nachtigallen
Liederschallen;
Und die Rosenhecken
All vor Schrecken
Wurden leichenfarber
Als Rhabarber.*“

Corrigenda.

- Pag. 26. lin. 14 pro: ne minimum, quidem — lege: ne minimum
quidem,
— 33. — 13 pro: homines lege: hominis
— 48. — 13 pro: bovim; lege bovim:
— 48. — 24 pro: bovis; lege bovis:
— 52. — 32 pro: Lilia lege Lilio
— 53. — 24 pro: φυτόν lege φυτόν
— 55. — 6 pro: Aglaopholis lege Aglaophotis
-

T H E S E S.

I.

*Sicut vasa vasorum nervi dantur nervorum.
(Quibus concessis quaestio solvitur a Jo. MÜLLERO
Tom. I. p. 701. Compend. physiolog. proposita.)*

II.

*Salubres, quae vocantur, corporis reactiones
ab ipsis morbis ratione physiologica non differunt.*

III.

Pathologorum humoralium „dyscrasiam“ nego.

IV.

*Inter nervosos morbos refero (febrem) inter-
mittentem.*

V.

*Erysipelas telae serosae cutaneae est inflam-
matio.*

VI.

*Ne temporaria quidem sublevatio semper fit
neuralgicis nervorum affectorum dissectione.*

VII.

*In rebus obstetriciis auditui plus debemus
quam visui.*

VIII.

In medicinae historiae medicinae veritas.

GLASGOW
UNIVERSITY
LIBRARY

GLASGOW
UNIVERSITY
LIBRARY